BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
13 M
29

12-17 i 21

HIERONIMI BRASAVOLAE MVSAE FILII MEDICI DVCALIS, AC PHILOSOPHI FERRARIENSIS;

De Officijs Medicis Libellus.

AD SERENISSIMVM PRINCIPEM
ALPHONSVM II. FERRARIAE
*D*VCEM, &c.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FERRARIAE,

Apud Benedictum Mammarellum. 1590.

Dom. Probat. Rom. Schol. Piar.
ex P. Ildefonso .

MO
SEREN. PRINCIPI
ALPHONSO II.
FERRARIAE DVCI, &c.

HIERONIMVS BRASAVOLA
MVSÆ FILIVS
fœlicitatem.

NVLLVS Auctor est, SERENISSIME DVX, cui ego maiorem operam dem, quàm Hippocrates. Hic enim solus, inter Medicos, diuinus est; hic omnium bonorum est inuentor: quem si rectè intelligeremus, Dij boni, quot fructus, quot rerum omnium cognitiones nancisceremur. Proinde fit, vt in ipso continuò verser, vt eum semper manibus gestem, vt eius sententias, ac singula verba tanquam oracula, non solùm memoriæ mandem; sed omni cum diligentia perpendam, omni cum nixu ruminari, ac digerere tentem. Ex

quibus profiteor, me maximè recondita Medicinæ arcana, quandoq; detexisse, quæ forsan, à nullo alio, hactenus fuere excogitata. Inter quæ, vnum specimen ac prægustamentum, est illud, quod in præsenti paruo Libello sum complexus, in quo & Medicinæ essentia, atque necessitas secundariò, & Medicorum officia, necnon etiam munerum horum, inter se habitudo, ac numerus, præcipuè demonstrantur. Cuius tractatus, quanta sit vtilitas, quanta necessitas, non solùm ad res Medicas cognoscendas, sed etiam faciendas, spero rem ipsam, per se, locuturam esse. Illud tantum à Serenitate Tua, humilimè peto, vt Libellum ipsum, quem Celsitudini Tuæ dedico, læta fronte suscipiat. Quod si fecerit, ad maiora etiam me excitabit. Vale.

LECTORI BENEVOLO.

LIBRVM hunc, Candide Lector, iuxta Aristotelis placita, volo, editum esse, & non editum. Editum quidem, si aliquam vtilitatem mortalibus sit allaturus, in locis quibusdam Hippocratis, & Galeni explicandis in artis Medicæ inuentione dilucidanda in dandis officijs Medicis pro Medicina quomodocunq; facienda: in constituendis terminis, ad quos, si tua consilia in curãdo dirigas, certus eris, an omnia præstanda præstes, nec nè. & si tibi eum placuisse, sensero. Non editum verò, si aliquibus in rebus (quæ humani ingenij est conditio) veritatem non sim consecutus. Tali enim animo, compositus sum, vt libenter, melius intelligenti, herbam porrecturus sim. Tu interim, vtrumque, boni consulens. Vale.

AVCTORES QVORVM FIT MENTIO.

Accursius.
Adagia.
Alciatus.
Altimarus.
Amatus.
Areostus.
Argenterius.
Aristoteles.
Asclepiades.
Auicenna.
Celsus.
Cicero.
Columella.
Cornelius Tacitus.
Democritus.
Diogenes.
Empedocles.
Fernelius.
Galenus.
Herophilus.
Hippocrates.
Iason.
Mercurialis.
Mesue.
Nolanus.
Nonius marcellus.
Ouidius.
Parolinus.
Plato.
Plinius.
Simplicius.
Stoici.
Valeriola.
Varro.

INDEX CAPITVM
quæ in toto Opere continentur.

HIERONIMI BRASAVOLAE MVSAE FILII MEDICI AC PHILOSOPHI FERRARIENSIS

De officiis Medicis Libellus.

Medicum debere considerare mutationes ventrium, & quæ sint, quomodoq; diffinienda Medicina secundum Hippocratem. Cap. I.

DIVINVS Hippocrates in Prohęmio libri de aere, aquis, & locis, literarum monumentis consignauit: *Medicum debere considerare, & versari, circa* μεταβολάς τῶν κοιλιῶν, transmutationes illas, quę fiunt in ventribus hominum. Quæ quidem mutationes (me exponente) nihil aliud sunt, quàm transitus, & motus (κινήσεις enim appellat 2. Aphorism. 48.)

A' sanitate ad neutrum decidentiæ.

A' sanitate ad morbum.

A' neutro conualeſcentiæ ad ſanitatem.
A' neutro decidentiæ ad morbum.
A' morbo ad neutrum conualeſcentię.
A' morbo ad ſanitatem.
Siquidem, cum Medicis, medicè eſt loquendum.

Ex quo loco tria colligo.

Primum, quòd diffinitio illa Medicinæ, quę proponitur in principio Artis Medicinalis Galeni, quòd *Medicina eſt ſcientia ſalubrium, inſalubrium, & neutrorum*: Non eſt verè Herophili (ſicut tenet Introductio, ſeu Medicus Galeno adſcriptus cap. 6.) aut ſaltem non eſt ex inuentione Herophili, ſed Hippocratis, ellicitur enim ex hoc textu.

Secundum, quòd licet, ſola & vna ſanitas, ſit finis Medicinę, tamen quod officia Medici, circa ſanitatem, ſunt tria, ſcilicet conſeruare, pręſeruare, curare.

Tertium, quod Medicina ſecundum Hippocratem ſic diffiniri poteſt:

Medicina eſt ars, verſans, circa hominem, ſalubrem neutrum, inſalubrem, conſeruando, præſeruando, curando, per Diætam, Pharmaciam, Chirurgiam. Cum Natura.

Ars. quia eſt habitus cum ratione factiuus. Fruſtrà enim eſt ipſam addiſcere, niſi vtamur.

Circa hominem verſans: Sic dico.

Tùm quia veterinaria, non eſt Medicina: non enim poſſumus cum ratione brutis Medicari, quoniam non reſpondent interrogationibus.

Tùm etiam, propterea quòd, quamuis applicetur Medicina brutis, primum tamen analogatum eſt homo.

Dico etiam potius hominem, quàm corpus; ex eo quòd Medicina verſatur, non ſolùm circa corpus; verùmetiam circa animam: non enim immediatè verſatur circa cadauera, ſed circa uiuentia corpora.

Et ſi Hippocrates dicit, *mutationes ventrium tractari debere à Medico*: per ventres intelligit, tam rem continentem, quam id quod continetur.

Quemadmodum etiam, ſub ventrium voce, comprehendit, annexa ventribus; ita enim morbus eſt inflammatio in crure, & in brachio, vt inflammatio hepatis, aut matricis.

Salubrem

Salubrem, neutrum, insalubrem: ita ordino, non autem salubrem, insalubrem, neutrum, vt fecit Galenus in Arte Medicinali, volo enim disponere.

Ordine naturę: quo scilicet se consequuntur ista secundum naturam.

Ordine quo ista: vnum pręsupponit aliud.

Et ordine etiam intentionis Medici: qui prius vult conseruare postea pręseruare, vltimò curare.

Non autem enumero hęc ordine doctrinę, quòd fieret si vellemus.

Aut vt iuxta ponerentur contraria, nempe salubre & insalubre.

Aut vt simul locarentur quę faciliora sunt, quorumq; vnum, dat intelligere alterum.

Nec eo ordine, quo vsi sunt Stoici, quando diffinierunt Prudentiam, esse scientiam, bonorum, malorum & neutrorum.

Conseruando, præseruando, curando. Salubre siquidem conseruatur, neutrum pręseruatur, insalubre curatur.

Pro cuius rei intellectione, opus hic esset, agere de salubri, insalubri, neutro, docendo eorum significata: sed quoniam abundè à Galeno, in Arte parua, sunt exposita, propterea hęc bona fronte, omitto.

Et dico tantùm quòd.

Conseruatio, est habere hominem perfectè sanum, qui in eodem statu sanitatis detineatur.

Non quia, nulla penitus, fiat mutatio in ipso (continuò enim ab eo, defluit aliquid & reponitur) sed quoniam stat in latitudine sanitatis, & non transit in statum, nec neutralitatis, nec ęgritudinis.

Pręseruatio est, supponere hominem imperfectè sanum, id est, paratum transire in ęgritudinem, hoc est, habentem in se, leues causas neutras: vt intemperaturam leuem: Cacochimiam mediocrem: plenitudinem aliqualem: & pręseruare, idest, prohibere, ne in illam cadat.

Curatio est, habere hominem ęgrum, id est, qui omninò, ad pręternaturalem statum, adeò peruenerit, vt actio iam lęsa sit: & illi pristinam sanitatem restituere.

Ex quibus colligo tria.

Primum, quòd Medicus, ita habet pro scopo sanitatem, vt illi incumbat tanquam optimæ rei, quæ sit in sua arte: qnando enim curat, & quando præseruat; hæc munia exequitur ut reddat corpus ita sanum, ut circa ipsum, nulla alia re egeat, quam illud conseruare.

Iure igitur scriptum est, in Introductione seu Medico Galeno ad scripto cap. 8. *Porrò salubris pars, quam Greci ὑγιεινὸν dicunt, non solùm vt pars Medicinæ, sed tanquam potior ea, quæ medetur ei præponitur. Multò enim præstat morbum prorsus non admittere, quàm morbo liberare: quemadmodum & gubernatori longè præstabilius est antequàm in tempestatem incidat, iter absoluere quàm fluctuatum periclitatumq́; euadere.*

Secundum, quod non est aliquod corpus humanum, quod effugiat considerationem Medicorum, & artis Medicæ beneficium, quoniam, si sanum, est conseruandum; si neutrum est præseruandum, si insalubre est curandum. Omnes ergo homines sunt subiecti Medicinæ cuiuscunque sexus, ordinis, conditionis, vitæ institutionis, ac ætatis.

Immò non tantùm qui hac lucis vsura fruuntur; sed etiam qui sunt in vtero matris; possunt enim conseruari, præseruari, curari: si circa genitricem negocietur Medicus.

Sed quòd maius est, credo ego, quòd antequàm concipiantur quoque, possint ista officia, circa ipsos exerceri: parentes conseruando, præseruando, curando, vt generent bonos humores, perfectum sanguinem, & semen benè dispositum, ex quibus, futuri filij, sunt generandi: prout enim sunt in causis proprijs: ita etiam Medicinæ sunt subiecti, & à morbis (hæreditarijs præsertim) queunt præcaueri.

Sanos autem, Medicæ manui esse subiectos testatus est Galenus, cum scripsit in libro περὶ ὑγιεινῶν; *eum esse fœlicem, qui à principio suæ generationis, traditur custodiendus ei, qui præest sanitati tuendæ.*

Tertium necessitatem artis Medicæ, circa quam necessitatem parumper immorandum mihi est.

De

De Medicinæ Inventione ac necessitate. Cap. II.

DEus omnium conditor, dedit homini esse, nec solùm esse, sed etiam consequẽtia ad esse quę sunt quatuor, Vita, Sanitas, Robur, Pulchritudo.

Et his, non contentus, omnia etiam illi parauit, per quę, posset seipsum seruare, in indiuiduo, & in specie.

In Indiuiduo quidem secundum periodum vitæ determinatam. Cùm enim iuxta Hippocratem, Galenum, & Aristotelem, nihil aliud sit homo, quatenus animal est, quàm calor quidam naturalis, se conseruans in humido radicali, & propterea egeat hic calor aere ad flammam suam, per ventilationem conseruandam & materia, quæ reparet id, quòd continuò deperditur de humido primordiali à semetipso.

Iccirco, & aerem, illi circumfudit, Rerum omnium Opifex.

Et diuersa alimentorum genera produxit per quæ, posset, hoc restituere, illud recreare: & talia membra illi indidit, per quæ tùm respirare posset, tùm alimenta ista, in suam substantiam conuertere.

Ex quibus sequitur, quòd repleatur, & euacuetur, moueatur & quiescat, vigilet ac dormiat, & passionibus animi diuersis, sit subiectus.

Atque sic, in indiuiduo ad tempus seruari potest.

In specie verò, quoniam Deus & membra generationis, in illo architectatus est & materiam, in eo segregauit per quæ similem sibi, in specie producere aptus est.

Vnde scribit Galenus 14. de V. P. 2. *Omnibus animalibus Natura concipiendi instrumenta tribuit, ipsisq; instrumentis, eximiam quandam vim voluptatis effectricem, animæ verò ipsis vsuræ incredibilem quandam, atque ineffabilem vtendi cupiditatem coniunxit, à qua animalia incitata, ac stimulata: etiamsi mentis, ac rationis experiia ętateq; tenera sint, prouident tamen non secus, at si essent prudentissima, vt genus suum sit superstes.*

Cùm

Cùm enim (vt ego arbitror) non ignoraret substantiam, ex qua animalia est molita, perfectam sapientiam non admittere, pro ea (quod solum recipere ipsa poterant) id eis, est largita: escam scilicet, atque illecebras ad salutem generis ac conseruationem, incredibilem voluptatem vsui partium coniungens.

His ergo medijs, in specie etiam, potest se homo seruare.

Dices si homo, habet instrumenta, per quę potest, seipsum conseruare, in Indiuiduo, & in specie, cur aliquando amittit sanitatem, & aliquando talis euadit, vt filios procreare non possit?

Respondeo hominem quidem, se non conseruare in sanitate.

- Vel quia non scit.
- Vel quoniam non potest.
- Vel propterea quod non vult.

Quia non scit, quid enim sciunt infantes, quomodo in vita regere se debeant? quid Idiotę, qui seipsos vix viuere intelligunt? quid denique cœteri homines non Medici, si vix Philosophi ac Medici ipsi, per suam artem cognoscunt, quomodo sanitas ipsa sit conseruanda?

Quoniam non potest: quomodo enim possunt se regere in victu bona tantum sumendo Agricolę? quomodo Milites, qui coguntur edere quęcunque pro tempore sibiipsis offeruntur? quomodo aliorum seruitio dediti, qui secundum Dominorum gustum edunt, & qui suum stomachum alieno palato accommodare tenentur? quomodo qui sedentarias vitas exercent, possunt se gubernare in motu & quiete? Demum quomodo Medici etiā ipsi, possunt regulare se, in locis illis, vbi est, vel malus aer, vel aqua praua? & vbi cibi deterrimi nascuntur?

Quibus addas, quòd cùm semper necesse sit, reparare id humidum radicale, quod continuò à calore deperditur: & cùm nihil sit omninò simile ei, quod debet restaurari: hinc efficitur, vt tandem, tale humidum substantificum, in totum euanescat.

Propterea quòd non velit: qui enim voluptatibus sunt dediti, sanitatem parum curant, omnia genera ciborum edunt, varia ingurgitant, potentiora vina bibunt, quibuscunque horis se explent, vigilias nocturnas amant, coitum nimium exercēt, & vitam ipsam postponunt, vt voluptatum blanditijs fruantur.

Consequitur ergo, vt vita ipsa debilitetur, sanitas infirmetur, robur dissoluatur, pulchritudo euanescat: quibus tamen rebus, nihil

nihil charius, nihil exoptatius, nihil magis deſiderandum, ab homine eſt.

Hominem verò contingit, ineptum fieri, ad ſeipſum, in ſpecie conſeruandum.

Vel per ſe, quia euadat, aut ętate prouectus, ac ſenex, aut inſalubris ob cauſas iam dictas.

Vel per accidens, propterea quòd non iungatur ſeu mas, ſeu fęmina ſit, cũ ſibi proportionato, aut proportionata, cum quo vel qua, ſit aptus, aut apta, ſimilem in ſpecie producere. Quapropter, ob deperditionẽ tot rerum, neceſſum fuit, artem quãdam inuenire, quę tantas ruinas reparare, vitam defendere, ſanitatem præſentem tueri, labentem ſuſtinere, amiſſam recuperare poſſet, & quę hominem docere ualeret, cuius temperaturę debeant eſſe, quę inuicem coniungi poſſint, pro debita ſobole gignenda. Hanc autem artem *ἰητρικὴν*, id eſt, Medicinam nuncupatunt, vtar enim verbis Hippocratis in lib. de veteri Medicina. *Porrò inuento huic, quodnàm iuſtius, aut magis cõueniens nomen quis impoſuerit, quàm Medicinam? quandoquidem ad hominis ſanitatem alimentumq́, ac ſalutem inuenta eſt: in permutatione illius victus; ex quo dolores, & morbi, fiunt.* Addite vos & per quam docentur homines cum quibus Coniugibus, iungi debeant, ſi prolem amatam ſunt generaturi.

Nec miremini, ſi diuerſam inuentionem Medicinę ego ſtatuam, ab Hippocratica: quoniam ille voluit docere inuentionem partis Medicinę dięteticę, mihi intentio eſt, totius Medicinę exordium, ac neceſſitatem adumbrare. Immò addo ex dictis, nondum etiam ad amuſſim apparere, immediatam Medicinę neceſſitatem, quam nouo principio facto, ſic eſſe ſtatuendam exiſtimo.

Homini Deus Optimus Maximus, non arma, non veſtimenta, non Medicinam, non alia denique neceſſaria multa parata & architectata: ſed ad horum inueniendorum, conſtruendorumq; gratiam, dedit ingenium ac manus, quibus nixus, nõ vnum armorum genus, non vnam veſtimentorum ſpeciem, non vnam ſolam medicamentorum rationem habere poſſet; ſed arma omnia, veſtes cunctas, ac Medicinas vniuerſas poſſideret. Quapropter cæteris quidem animantibus, data eſt natura interior, quę non ſolùm curare ſcit eorum ægritudines; ſed etiam

particu-

particularia simplicia extrinseca, facientia ad tales, vel tales morbos, discernere nouit. Vnde canes, determinatis herbis, ducentibus per vomitum, ac per secessum, se, curare sciunt: Ibis auis, rostro, sibi clysteria salutaria imponit: diuersa animalia varias aquas thermales inuenerunt: cerui sauciati medicamentosum Dictamnum inquirunt, & in inedia, atque in cibis bruta ipsa naturaliter, se se, gubernant.

Solus homo, habet quidem naturam internam, quę ipsum regit: at hæc hominis Natura, ex se, nullorum auxiliorum externorũ est gnara, quibus se, conseruare, præseruare, ac curare queat. (licet enim Galenus 10. Methodi. 10. habeat hæc verba: *Ita verò & ruri faciunt, vbi, quòd balnea non sunt in stagna, vel flumina, seipsos conijciunt, nullo Medici suasu, sed ipsa gubernante corpus natura, ad id, quod conducat impulsi:* tamen ego sum huius sententiæ, quod Galenus in hac re decipiatur, & quod natura particularis hominis, non cognoscat aliqua remedia, nisi aut discursu mediante, aut a brutis edocta) Inde ergo factum est, vt artem quandam inuenire necesse fuerit, quæ Ministra sit Naturę hominis internæ; & quæ illi, ab extrinseco remedia auxiliatia porrigere apta sit: tam spectantia ad Diæteticam atq; Pharmaceuticam, quàm ad chirurgicam medicicinæ partem. Ex quo loco colligo.

Primò quid intelligat Hippocrates cum scribit. *Naturæ morborum Medicatrices: Medicus verò Minister.* Nihil enim aliud sibi vult, quàm hanc Medicinæ necessitatem propallare.

Secundò Medicos non debere sine ratione, quàmplurima remedia inculcare, & magnis compositionibus Medicamentorum vti, in hominum dispositionibus abigendis; propterea quòd Natura (vt in brutis patet) paucissimis auxilijs est contenta.

Cæterùm, non etiam adhuc mihi satisfacio in Medicinæ inuentione ac necessitate proponenda, nisi, paulò adhuc altius rem ipsam deduxero.

Multa sunt, quæ hominibus imponunt quæ eos decipiunt, in quibus, solùm sensum sequentes falluntur. Credunt enim Lunam esse eius magnitudinis quæ cernitur; cum tamen valdè maior sit, quàm terra hæc quam incolimus. Putant in cœlo adesse colores iridis arcumq; cœlestem: attamen sunt refractiones radiorum solarium in guttis aquæ.

Existimant in collo palumbis, esse varios colores, luteum, cœruleum, rubrum, viridem, vno tamen solo colore est præditum.

Arbitrantur remum in aqua, esse fractum, & aspectus in his errat. Dum naui vehimur, nobis videtur & littora & arbores abire; cum tamen nos simus qui in naui vagamur. Dicor ego habere oculos nigros, alter albos, quòd in re non est, vt in Anathome discernitur. Iudicant clausis oculis quòd trahea in qua ducimur posterius regrediatur: attamen ipsa vlterius pergit. Turris eadem procul rotunda, propè quadrata conspicitur. Et Galenus dixit 1. de elementis cap. 2. *Nempe subijcitur ab his omnibus: primum elementum vsque adeò esse omni penitus qualitate vacuum: vt nullum vel albedinem, innatam habeat, vel nigredinem, vel alium quempiam colorem, non dulcedinem, non amaritudinem, sed neque calorem, neque frigus, & tandem vt cuiusuis alterius qualitatis sit omninò expers. Lege enim dicebat Democritus, color est lege amarum, lege dulce, atomus verò & vacuum verè est, ipse ἐτεῇ dixit.*

Credidit enim ille sensibiles qualitates ex indiuiduorum illorum corpusculorum conuentu per solam ad nos, qui sentimus collationem gigni: ipsa verò natura nihil esse album aut nigrum, flauum aut rubrum, amarum aut dulce. Quippe hoc illi lege significabat ex nostra nimirum existimatione, non ex ipsa rerum natura, ita etiam illi ἐτεῇ nomen ab ἐτεὸν deductum est, quod verum significat, vt vniuersi sermonis illius sit sensus. Arbitramur quidem nos homines quippiam esse album, vel nigrum, vel dulce, vel amarum, & quæcunque huiusce generis sunt, sed reuera omnia vnum sunt & nihil, nam & ille hoc loquitur modo, qui Atomos unum appellat, uacuum autem nihil. Itaq; Atomi omnes quæ exigua quædam corpuscula sunt omni prorsus qualitate vacant. Hæc Galenus circa quem locum Notandum Democritum non solum esse vsum voce ἐτεῇ, sed & νόμῳ, scribitur enim alibi νόμῳ γὰρ γλυκὺ, καὶ νόμῳ πικρὸν, νόμῳ θερμὸν, νόμῳ ψυχρόν.

Similiter dicunt aliqui de Medicina, quod est impostura, quòd decipit homines, quòd est Ars inanis, quod est quoddam figmentum, in hominum tantùm opinione consistens, non est autem reale quoddam, & solidum, quod necessarium sit.

Nam plerumque videmus vnum ignarum, melius curare, quàm Medicum.

Et vulgo dicitur, Medicos plus incumbere Rasi quàm alijs auctoribus, intelligendo quod Medici faciunt Rasas, id est, imposturas technas & deceptiones ęgris, est enim (inquiunt) illud de Medicina, quod de virtute dixit Cicero.

A multis ipsa Medicina contemnitur, & venditatio quædam, atque ostentatio esse dicitur.

Immò affirmat Accursius, *quod Medici sunt Parabolani ob hoc dicti, nomenq; ab eo sumpsisse, quod multas haberet parabolas, qd videlicet ut quisq; loquacior est ita doctior Medicus, vulgi opinione existimetur.*

Ego vero assero totum contrarium, quod Ars Medica datur, quod est Ars maximè realis, firmissima, stabilissima, & quod sine ipsa Natura nõ potest præstare circa homines, id quod præstat.

Ex quo apparebunt duo. Primum quid sit, id quod dicitur in Aphorismo 1. primi libri.

Oportere Medicum præstare ægrum opportuna facientem, ęgrum, inquam, id est naturam interiorem ægri. Secundum quid sit id quod dicitur 5. in 6. Epid. 1. *Naturę morborum medicatrices, Medicus vero minister.*

Cœterùm inde exordiendum est. Scribit Galenus 11. Meth. 1. quod *natura per se agit*, id est quod conseruat, pręseruat, curat, sine ope Medici. Adiungit Galenus quòd *natura habet motus innatos*, & facultates agendi.

Natura enim est principium motus & quietis eius in quo est primò & per se & non secundum accidens, vt testatur Aristoteles in Phisicis. Potest igitur Natura generare, augere, conseruare; pręseruare, curare per primas qualitates, per secundas, per tertias, per quartas, per quintas si dentur.

Quæ quidem duo agere per se, & habere motus innatos an bona sint audiatis.

Fuit sententia Hippocratis in libro de alimento. *Naturā esse indocilem*, esse ἀδιδάκτην, agere sine ratione, nescire quid faciat, non posse reddere causam eius quod agit, esse ignaram sui ipsius, essentię morborum, causarum, signorum, non cognoscere preteritum, futurum; quod illam latent impedimenta, quòd fugiunt eam media, Dięteticà, Pharmaceutica, Chirurgica, quibus præstari potest id quod agit, quod non intelligit, quomodo per illa sit agendum.

Ex quo sequitur, vt, vel tardè curet, vt non vacuando humorem

causantem febrem curet in duobus mensibus id quòd faceret Medicus vacuando in septem diebus. Vel malè: curabit enim vlcus, sed relinquet cicatricem magnam, carnem, supercrescentem, aut cauitatem, aut callum. Vel causando mortem. Certum enim est quod Medicus in sputo sanguinis vitabit inflammationem pulmonis, quam natura non solum aliquando vitare non potest, sed etiam causat accurrendo cum sanguine & spiritu ad affecta loca, at facta inflammatione pulmonis morbus euasit incurabilis. Vel quando Natura est debilis primò quomodo poterit agere, secundò quomodo prospicetur quid prius agendum?

Obijcies, quomodo dicis nunc, naturam errare in suis operationibus, si infrà scribes naturam esse agens perfectissimum? & & quod non errat in suis munijs præstandis?

Soluitur me concedere ibi Naturam esse agens perfectissimum in suo genere scilicet inter illa agentia quę operantur sine cognitione, hic negare, quod sit perfectissimum agens eo modo quo sunt agentia cum cognitione.

Ex quo loco colligendum quod cum dicitur Naturam ex possibilibus facere id quod melius est, intelligendum esse quod melius est, ex possibilibus sibi: non autem ex poscibilibus omnibus, nisi Medico iungatur.

Nec valet dicere. Ipsa habet motus innatos, & facultates agendi, quoniam plerumque ob ignorãtiam, malè vtitur his motibus, puta quando (vt supra diximus) accurrit cum sanguine & spiritu ad locum dolentem, & auget inflammationem quàm credit se sedaturam, quando pellit materiam malã à parte minus principali, ad principaliores, quando vult expellere materiam, antequàm sit concocta.

Proinde coacti sunt homines, artem quandam inuenire, in qua esset ratio cognoscendę ipsiusmet naturę, virium naturę, essentię morborum, causarum, impedimentorum, auxiliorum, qua arte instructus Medicus fieret vnum agens cum ipsa Natura, & faceret ipsam cum ratione operari, impedimenta remouendo, ministrando auxilia ipsi Naturę, & informando auxilia pręceptis artis, vt Natura illa habeat, & ipsis vti possit.

Subdit ergo Galenus ibidem, quod *Ars Medica & Medicus per media agunt*, id est habent materias, per quas possunt

facere quód Natura exerceat motus illos innatos, Vnde Medici & artis Medicæ munus est, opitulari Naturæ, id est porrigere Naturæ illas materias, per quas possit remouere impedimenta, & exercere faculates illas quas habet generandi, augendi, conseruandi, præseruandi, curandi.

Quo etiam modo Agricola iunctus Naturæ agri facit, quod illa Natura producat frumentum, quod per se non produceret, & facit insitione pirum arborem, producere poma, quod nunquam Natura agri per se effecisset, qua de causa scripsit Cicero libro de Senectute. *Habent enim rationem Agricolæ cum terra, quæ nunquam recusat imperium, nec unquam sine usura reddit quod accepit; sed alias minore, plerunque maiore cum fœnore.*

Et subdit Plinius lib. 17. cap. 10. Nec non Columella lib. 3. cap. 1. *Quædam Naturæ benignitate nascuntur, quædam cura hominum, absq; arte proueniunt.*

Et quemadmodum mas iunctus cum fœmina causa est quod ipsa generet: ita Medicus Medicina mediante, iunctus cum Natura, facit quòd ipsa benè exerceat suos motus innatos.

Et vt equorum Domitor facit equum aptum ad belligerandum in currendo pro aggressione hostis, pro fuga, pro vertendo se ad tempus vt infligatur vulnus inimico, vt ensis hostis vitetur, propterea miles simul cum equo ista exercet.

Quo etiam modo contingit, in arte auium rapacium, qui prius instruuntur ad aucupium, & homo deinde simul cum aue aucupatur.

Fit ergo Medicus, per artem, iunctus Naturæ (vt in proposito de Amico dicit Aristoteles) μία ψυχὴ δύο σώμασιν ἐνοικοῦσα, id est, vna anima (seu vnum agens) in duobus corporibus habitans.

Et Ouidius loquens de Palade & Oreste cecinit.

> Qui duo corporibus, manibus vnus erat.

Sed audiamus duas Ciceronis sententias, maximè ad hoc propositum facientes.

Prima est libro de officijs. *Homo & seipse diligit, & alterum acquirit, cuius animum ita cum suo commisceat ut efficiat penè unum ex duobus.*

Secunda libro de Amicitia. *Amicitiæ uis est in eo, ut unus quasi animus fiat, ex pluribus.*

Propterea

Propterea non debemus relinquere naturam, Marte suo (vt aiunt) committere bellum, sed addiuuanda est à Medico.

Dices, quis plus facit in actionibus ipsis?

An Natura? an Medicus?

Respondeo, quòd id quod agitur certè agitur à Natura, sed ratio agendi sumitur à Medico arte instructo, vnde est illud quod affirmant tàm Hippocrates quàm Cicero & Plato.

Hippocrates quidem, 1. de diæta cum scribit, *qui plus facit, ille minus facit, qui minus facit, ille magis facit.*

Cicero autem 1. de Senectute: ita enim loquitur de Senectute (quod ego desidero vt applicetur Medico) *Nibil ergo afferunt, qui in re gerenda versari senectutem negant: similesq; sunt, ut si quis gubernatorem in nauigando agere nibil dicat, cum alij malos scandāt, alij per foros cursitent, alij sentinam exhauriant; ille autem clauum tenens, sedeat in puppi quietus, non faciat ea quæ iuuenes. At uero multo maiora & meliora facit. Non enim uiribus, aut uelocitatibus, aut celeritate corporum, res maximæ geruntur; sed consilio & auctoritate & sententia.*

Plato etiam vult, quod Medici vt consultant meliores Natura sint in Ciuili seu de Regno quando scribit.

HOSPES quid insuper de hac potentia cogitandum SOC. qua HOS. qua pugnamus aduersus eos quibus bellum indiximus, Num artificiosam hanc an artis expertē esse dicemus? SOC. quis nàm artis expertes profecturæ, neque militaris omnis, actiones dixerit? HOS. facultatem uero illam, quę consultando prudenter deliberare potest: quibus cum bellum gerendum sit, uel pax ineunda, nunquid ab ea diuersam? an eandem cum illa putabimus? SOC. diuersam, si in superioribus stamus. HOS. nonnè si superiorum rationem sequimur, hanc quæ de bello consultat illi quæ bellum gerit, dominari dicimus. SOC. & idipsum &c. quemadmodum ergo Imperatoria *Ars*, quæ consultat, est melior militia, quæ agit: ita Medicus, qui consultat est melior quàm Natura quæ agit.

Rursus paulò inferius, subiungit diuinus Plato, *quisquis artes quas memorauimus cunctas considerauerit; cogitare debet, earum nullam esse Ciuilem, quam quærimus disciplinam; quippe cum regiæ Maiestatis officium sit non ut ipsa quidem agat, sed ut agere potestatibus imperet: cognoscatq; principium atque progressum eorum, quæ in ciuitate sunt maxima; quiduè decorum & opportunum sit, quid contrà: alias*

uero

vero facultates, iusta capesere, & mandata transigere &c. quemadmodum ergo Imperator non agit, sed imperat alijs vt agant, & ipsi deinde agunt: ita Medicus imperat Naturę quid agere debet, & ipsa seccundum mandata Medici operatur.

Sed quid dicendum ad obiecta ab aduersarijs.

Ad primum, quod plerumque videmus, vnum ignarum melius curare quàm Medicum.

Respondetur id esse falsum. Immò asserimus Medicinam ita esse difficilem, vt etiam Medici prçstantissimi aliquando decipiantur; quod patet per Hippocratem, qui interdum suum errorem confessus est.

Ad secundum, quòd Medici magis vtuntur Rasi, quam reliquis Auctoribus.

Respondetur quod iam ostensa est soliditas ipsius Artis, propterea obiectio nulla est.

Ad tertium quòd Medici dicantur Parabolani.

Respondet Alciatus. *Hæc expositio, meo quidem iudicio planè ridicula est, quare aliter ipse censuerim. Fuisse enim Plebeios quosdam Parabolanos, qui famulitio, vel Ecclesiarum, vel Hospitalium Xenonumuè deputati erant, & quasi adscriptitij glebæ: vt sicut illis omni vita ab agrorum cultu recedere non liceat; ita his à seruitio ægrorum, qui nosocomijs residebant. Parabolanos glebæ adscriptitios esse, in iuris ciuilis grçco interprete legi, dicti à græca præpositione* παρα *&* βῶλος *quæ vox pro gleba accipitur.*

Illud restat vt videamus quomodo coniungatur Medicus cum Natura?

Respondetur coniungitur Medicus Naturę sumēdo Casum ęgri ab Idiotis dictum (causam à Cicerone, Exemplum ab alijs. Iurisperiti constitutum seu statum dicerent. A Galeno διαθεσις τοῦ κάμνοντος nuncupatur, in initio 1. Prçsagiorum. Ab Hippocrate nominatur πράγμα τῶν νοσεόντων quod explicat Galenus τουτεσιν ὁποία ποτέ τούτους ἡ καπασκευὴ τοῦ νοσήματος ὑπάρχει (vbi credo quod id τούτους debeat legi τούτου sine σ.) Hoc enim est quod alibi dixit Hippocrates ὅκωστε καὶ τὰ τοῦ σώματος ἔχωσι, id est eo modo quo se habent quę spectant ad corpus, & quę ad affectionem) sumendo itaque casum, seu rem, seu negotium, seu dispositionem, seu constitutum ęgri, & ad regulas artis, illud examinando & videndo quid debeat fieri

ſecundum artem in tali caſu. Deinde faciendo quod Natura procedat per ſuos motus innatos ſecundum regulas & pręcepta ipſius artis.

Utrùm duo tantùm ſint Medicorum officia & an detur Conſeruatio. Cap. III.

PETES videntur eſſe tantum duo officia Medici pręſeruare ac curare, & non dari conſeruare.

Primò enim Galenus libro ad Thraſibulum Cap. 19. & 20. dat exemplum de duobus reſtituentibus pauca & plura fila vni telę, & de duobus aſſiſtentibus binis dolijs, & reponentibus id parum & id multum quod effluit: vbi non facit mentionem niſi duorum, ſcilicet pręſeruantis, & curantis.

Secundò Medicus vix vocatur ad curandum, vt patet ex Hippocrate lib. de Arte *Medicus uerò, ſiquidem ſuffecerit ad cognoſcendum ſufficiet etiam ad ſanandum. Si uerò is, in quo morbus cognoſcitur ſuperetur, ob id ſanè quod ſerius Medicum accerſit: aut ob morbi celeritatem peribit. Si enim ex æquo proceſſerit morbus, cum Medicina uelocior non eſt. Si uerò præoccupauerit uelocior omnino exiſtit. Præoccupat autem tùm propter corporum anguſtiam, in qua non in conſpicuo inhabitánt morbi: tum propter ægrorum negligentiam. Differunt enim & cunctantur, atque ubi iam à morbis ipſis apprehenſi ſunt, tùm demum curari uolunt ac expetunt.*

Tertio conſeruatio debetur perfectè ſanis: at non datur iſta perfecta ſanitas, & ſi datur, momentum tantùm temporis durat.

Quartò Galenus libró, An ars tuendę ſanitatis ad Medicum pertineat: & libro de conſtitutione Artis, inquit, *Medicinam in hoc uno ſemper, & perpetuo uerſari, ut uitia corporis corrigat:* ſed conſeruare non eſt corrigere, cum conſeruare fiat circa ſanos. Ergo conſeruare non pertinet ad Medicum.

Reſponde-

Respondetur ad Primum Galenum ibi per sanitatis custodem intelligere tàm conseruantem, quam præseruantem, & pro repositione non ferè intendere aliud, quàm repositionem cibi, aut aliarum rerum non naturalium, quæ sunt communes, tàm sanis, quàm neutris: non ergo agit de præseruante & de curante tantùm, sed de præseruante, conseruante, curante, & sub præseruante comprehendit tàm conseruantem, quàm præseruantem.

Ad secundum dico, quod Ars, paruifacit illud, quòd laudant, vel non laudant. Idiotæ.

Nam sufficit sibi, quod secundum rem detur conseruatio.

Si autem homo sua auaritia, aut negligentia, aut ignorantia hac non vtatur; nil mirum posteà si & neuter & morbosus etiam fiat.

Ad tertium, aio, conseruationem deberi non tantùm perfectè sanis, sed & alijs non ita exactè sanis, modò sint aliquo modo in latitudine sanitatis.

Ad quartum paulò post patebit solutio, cum adducemus verba Galeni græca, in Arte Medicinali cap. 85.

Dari autem debere talem conseruationem, manifestum est, ex Galeno in arte parua cap. 84. cum, inquit. *Si impatiblle atque inalterabile esset corpus: semper optima constitutio perduraret, neque artis præsidio indigeret. Quoniam uerò alteratur, corrumpitur, & uertitur, neque eundem seruat prioris status tenorem, ea ratione auxilium desiderat.*

Quod etiam confirmatur in Introductione seu Medico cap. 8. *Atque differunt rursus in salubri parte sanitatem tueri, & morbos incessentes longius arcere. Etenim primum consueta uictus ratione administratur: alterum curatorijs auxilijs ut morbum qui constari debet, supprimat, ac dissoluere anticipet: Siquidem, quæ iam ortis affectibus medicantur, eadem quoque prius quàm oriantur, probibent illos consistere.*

Et lib. de constitutione artis 19. *Verùm quoniam operepræcium insuper est, eos procurare qui à morbis euasere, ut uires recuperent: & prætereà ut hi qui in morbos proclines sunt custodiantur, ut ij, qui prospera & inculpata fruuntur ualetudine conseruentur &c.*

Et ex Hippocrate 5. in 6. Epid. 5. *Fœminis anima* (id est calor naturalis)

turalis) *ſemper ſit vſque ad mortem* : ſi enim ſemper fit. ergo tam ſanus quàm neuter & quàm æger.

Sed vt habeatur locus Galeni, in quo de hac conſeruatione pertractat diſtincta à præſeruatione, en quod ſtatim in cap. 85. ſequenti ſubdit. Καθ' ὅσους οὖν τρόπους ἀλλοιοῦται, τοσαῦτα γένη καὶ τῶν ἐπικουριῶν ἕξει. τουτέστι τῶν φυλακτικῶν αἰτίων ἃ πρόδηλον ἤδη, κἀξ αὐτῶν τῶν εἰρημένων, ἐπανορθωτικὰ τῷ γένει τετύχηκεν ὄντα. τῷ δὲ κατὰ βραχὺ ποιεῖσθαι τὰς ἐπανορθώσεις, πρὶν ἀθρόον ἀπαντῆσαι τὸ βλάβος, οὐ προφυλακτικὰ τοῦ μέλλοντος ἔσεσθαι κακοῦ πρὸς τῶν ἰατρῶν, κέκληται; ἀλλὰ φυλακτικὰ τῆς παρούσης κατασκευῆς hoc eſt. *Secundum quot igitur alteratur modos tot auxiliorum; hoc eſt cauſarum conſeruatricum genera habebit: quæ, ex his, quæ dicta ſunt, liquet, eſſe ex correctiuarum genere. Sed quia, paulatim correctionem faciunt, antequàm confertim ingruat noxa; non præſeruantes à futuro, malo; ſed, præſentis ſtatus, conſeruatrices Medici appellant.*

Quem locum, tanto lubentius adduxi, & cum græco textu, vt appareat, quomodo Græcè conſeruatiua dicatur, nempè φυλακτική, & præſeruatiua προφυλακτική, de curatiua autem manifeſtum eſt, quod appellatur θεραπευτική. At ἐπανορθοτική correctiua: videtur eſſe commune genus ad conſeruatiuam, præſeruatiuam, & curatiuam, per quæ verba, volo etiam reſponſum eſſe, ad argumentum, ſuprà quarto loco adductum.

Inter alia Adagia, legitur iſtud, nos admonens, quod ſani, ſint cōſeruandi; Ἐξώστην εὐτυχὴ ἄθρει. id eſt. Turbinem proſpecta, fęlix exiſtens. Citatur, ex Varronis Menippeis, à Nonio Marcello. Cùm res ſunt maximè ſecundę, tùm de aduerſa fortuna præcipuè timendum eſt: quemadmodum Nautæ, licet proſpero ferè vento, oram ſoluant, ad manum tamen, aut ſaltem præparata, aduerſus tempeſtatem, ſi forte ingruat, inſtrumenta adminicularia habere debent, ne malo cedere cogantur. Sapientis eſt infortunijs ſe antè parare, quàm opprimant. Non abludit hinc, Vectij Valentis reſponſum, apud Cornelium Tacitum, cum metueret, à Claudio Oſtię agente. Aſpicere ſe tempeſtatem ab Oſtia atrocem, cum de Meſſalinæ adulterijs, quem actem futuram innuere vellet cunctis in autem dormientibus. ἐξώστης autem, ventus eſt procelloſus, quaſi dicas quaſſatorem, παρὰ τὸ ὦσαι. id eſt ab impellendo. Adfine eſt illud.

χρὴ δ' ἐκτὸς ἐόντα πημάτων τὰ δείν' ὁρᾶν, id est. Extra malum existens, pericla prospice.

Nec non illud Diuini Poetę Areosti conciuis nostri.

Che pur la, doue è più tranquilla e queta
Più perigliosa è l'acqua, e più profonda.
Quod Latinè ita sonat.
Namq; vbi lympha magis stabilis maneatq; quieta
Est magis apta malis, magis est subiecta periclis.

Sed quid alienos Auctores memoro cum Hippocratis sententiam habeamus ita scribentis? *Habitus exercitatorum, qui ad summum bonitatis attingunt periculosi, si in extremo cōstituerint: neque enim possunt in eodem permanere, neque quiescere. Cum uerò non quiescant neque possint proficere: reliquum est ut decidant in deterius. His de causis, bonum habitum statim soluere expedit &c.*

Videtur falsum, quod quando curamus, debeamus semper simul pręseruare, & conseruare. Galenus enim 11. Methodi 2. inquit.

Diariarum quidem enim febrium, quemadmodum & hecticarum, uera & propria curatio est.

Earum uero, quæ ex putrescentibus excitantur humoribus uocata curatio prophilacticem quoque sibi adiunxit, cuius officium est: causam, quæ morbum creat admere.

Ergo putrida febris sola adiungit sibi præseruationem, sed diaria & hectica curant tantummodò non pręseruant, nec conseruant.

Respondetur falsum esse, quod etiam Ephemera & hectica curando non pręseruent atque conseruent.

Si enim, qui talibus febribus laborant, habent partes neutras, & partes sanas. Ergo eorum partes neutræ pręseruandæ, sanę conseruandę.

Quid igitur intelligit Galenus, cum ait, *quod sola febris putrida prophilacticem sibi adiungit?*

Soluitur de pręseruatione quidem, eum intelligere quòd sola putrida sibi prophilacticem annectit, quoniam putrida tantùm habet causam manentem; at aliæ, cum non habeant causam manentem, quo ad illam causam, quæ in ipsis non manet, sed recedit prophilacticem sibi non adsciscunt: Prophilacticam tamen accersunt, quoad illud quod hectica à prima specie potest

test transire ad secundam, & ad tertiam, ephemera potest transmutari ad putridam, & ad hecticam.

De conseruatione autem, manifestum est, quod semper, quod sanum est, in viuentibus debet conseruari.

Num plura dentur officia Medica quàm tria. Cap. IIII.

DVBITABIS adhuc. Videntur plura officia Medici, quàm tria ista, conseruare, præseruare, curare, quoniam.

Primò Argenterius in lib. de Officijs Medicis, ponit nouem officia, nempè, corrigere, conseruare, mutare, partim mutare, partim conseruare, curare, præseruare, mitigare, reficere, & senum corpora tractare.

Secundò qui agunt de Indicationibus, dicunt Indicationum esse quinque genera: & quod prima est salubris, secunda vitalis, tertia preseruatiua, quarta curatiua, quinta analeptica. Tot enim numerant, & ita eas disponunt.

Respondetur ad Primum, quòd omnia officia Argenterij, reducuntur, ad illa tria iam proposita vel tanquam genus, vel tanquam species, vel tanquam res eis affines.

Ad secundum mea sententia est, quòd Indicationum, quædam sunt principales, quædam minus principales.

Principales sunt, quę indicant in tribus officijs Medicorum; & Medicos dirigunt, in Medicis munijs exequendis.

Salubris, seu *Conseruatiua*, qua vtimur in sciendo, quomodo conseruandum.

Insalubris, seu *Curatiua*, quam exercemus, in noscendo quomodo curandum.

Neutra, cur enim hac voce vti non possimus quæ indicet subiectum, circa quod ipsa versatur? seu *Præseruatiua*, quam consideramus in pręcipiendo, quomodo pręseruandum.

Minus principales sunt, quę principaliter non constituunt officia Medicorum.

Vitalis, qua vtimur in vnaquaq; principaliũ Indicationum: semper enim ob vitã consideratur, cõseruatio, præseruatio, curatio.

Analeptica, Anatreptica, Refectiua, Recorporatiua, Renutritiua. quam exequimur.

Vel inter curandum, vt cum vtimur Epicerastica, id est, contemperatiua.

Vel in neutro conualescentiæ.

Vel in his, qui graciles sunt effecti.

Non quidem ex morbo,

Sed, Aut, ex laboribus, & exercitijs maximis, vigilijsque; & non mutat nomen Analepticæ.

Aut, ex ætate,

& mutat nomen, diciturque, Geronomica.

Ex quibus mihi noto.

Primò quòd post principalia Officia, vitalis, est magis principalis, quam sint reliquę, cum semper ea vtamur, reliquis autem non, nisi rarò.

Secundò quod vitalis, non differt quodammodo à conseruatiua, & quòd sub illa continetur. Si autem sit aliquod discrimen inter ista, tale est; quod Indicatio Conseruationis, est Vniuersalior, quàm Indicatio Vitæ; & quòd vitalis, est veluti finis ipsius conseruationis.

Dices si vitalis Indicatio debet reduci ad conseruationem, igitur oportet, vt contineatur in vna re naturali conseruanda, in qua ergo comprehenditur?

Soluitur in omnibus, principaliter verò in illis quæ proponuntur ab Hippocrate. 8. in 6. Epidimion textu 7. cùm dixit. Τὰ ἴσχοντα, καὶ τὰ ἐνισχόμενα, καὶ τὰ ἐνορμῶντα. id est. *Continentia, contenta impetum facientia.*

Tertiò quòd & Analeptica, ad eandem conseruatiuam est reducenda: sed quòd rarius hac vtimur, quam vitali.

Contrà id quod dictum est, indicationē vitalem, esse minus principalem, quàm conseruatoriam, præseruatoriam; & curatoriam instabit aliquis, videtur vitalem esse principaliorem alijs.

Primò enim conseruatoria præsupponit vitalem, præseruatoria præsupponit vitalem, similiter curatoria. Ergo vitalis principalior.

Secundò vis videre, quod principalior est vitalis? & quod sine vita, operari non potest Medicus? ecce Medicus est Minister

Naturæ

Naturæ tantùm quæ viuit. at ablata Vita, ab vno corpore, non est amplius in eo, Natura. Ergò Medicus, non potest amplius, esse Minister Naturæ, & Medicus.

Tertio de hoc est apertissima sententia, tùm Aristotelis in lib. de sensu & sensato asserentis *sanitatem & ægritudinem esse impossibilem in carentibus uita.* tùm Galeni 9. Meth. cap. 13. vbi dicit, *quòd Vita ipsa nihil esse prius in animantis corpore potest, propterea quod nec sanos esse citra uitam licet.*

Et quòd *sine uita frustra est omnis curatio*, quod autem dicitur de curatione intelligendum quoque est, de conseruatione & de præseruatione.

Ad quam sententiam pertinet quod dixisse ferunt Diogenem. *Νεκρὸν ἰατρεύειν, καὶ γέροντα νουθετεῖν, ταυτὸν εἶναι.* id est, mortuo mederi & senem admonere idem esse.

Respondeo me intelligere illas esse principaliores, quæ constituunt officium vnum Medicum distinctum ab alijs, & tale officium, quod à Medico immediatè fiat, quibus modis, dicuntur esse principales tantùm illæ tres conseruatiua, præseruatiua, curatiua.

Sed vitalis non constituit aliquod officium per se distinctum ab alijs, quod immediatè præstetur à Medico: & si præstatur, præstatur mediatè. Nam conseruando sanitatem vitam mediatè custodimus: præseruando neutrum, vitam mediatè præseruamus: curando ægritudinem vitam mediatè curamus.

Medicus autem non habet officium faciendi vitam immediatè: est enim artifex refectiuus qui præsupponit vitam iam factam; & quando hæc vita labitur à sanitate, vel in neutralitatem, vel in morbum, corrigit Medicus hæc vitia. At nec facit à principio vitam de nouo, nec vitam amissam vnquam restituit.

Sciscitaberis etiam, An sit aliquis respectus inter ista tria officia conseruare, præseruare, curare.

Respondetur quod sic. Primò enim qui conseruat per se vtitur similibus, quę per accidens sunt contraria morbo, qui curat per se vtitur contrarijs, quę per accidens sunt similia sanitati, qui præseruat, vtitur & his, quę per se sunt similia sanitati, per accidens contraria ęgritudini, & his quę per se sunt contraria morbo, per accidens similia sanitati.

Obijcies. Hippocrates non meminit in pręseruatione, quod Medicus

dicus vtatur similibus, sed solum meminit de contrarijs, de illis inquam, quę debentur curationi: ait enim *quacunque morbis præsentibus recte peraguntur, aut incipientibus, aut imminentibus prauertenda*.

Soluitur eum mentionem fecisse tantummodo, de eo, quod principale est in pręseruatione.

Secundò qui conseruat, non pręseruat, nec curat, qui pręseruat, conseruat, quidem, sed non curat, qui curat simul pręseruat, atque conseruat.

Causa autem huius rei, secundum me, ea est, quoniam tales sunt gradus, dispositionum subiecti, circa quod fiunt hę operationes, quod.

Primò est naturaliter habens, ergo conseruandum tantùm.

Secundò est naturaliter dispositum, & leuiter pręternaturaliter affectum, ergo conseruandum & pręseruandum.

Tertiò est naturaliter cōditionatum, leuiter pręternaturaliter dispositum, & grauiter pręter Naturam affectum. Ergo non solum est conseruandum, sed & pręseruandum, & curandum.

Nec vnquam est tale, si potest sanari: quin sit conseruandum: quoniam quemadmodum aqua calefacta, si omninò amittat totam suam Naturam, non amplius potest redire ad suum pristinum statum: ita homo si perdiderit totam naturalitatem suam non amplius potest restitui ad sanitatem.

Hoc autem, est valdè animaduertendum, quoniam in omni curatione, oportet Medicum, non solùm attendere curationi; sed etiam pręseruationi, ac conseruationi, quod ad hæc vsque nostra tempora in Medica Arte, aut à paucis, aut à nemine, est obseruatum.

Obijces, Galenus in libro Methodi, ait, quod *urgentibus morbis, nihil aliud quærendum est, quàm ut propriam ualetudinem recuperemus*. Ergo est solummodò opus curare, nec necesse est, vel pręseruare, vel conseruare.

Soluitur intelligere Galenum, quod nihil aliud opus est quęrere, quantum attinet ad morbum præsentem, quantum scilicet ad statum præternaturalem multum. At, addo, ego, quòd quoniam adest etiam pręternaturalis parum status, & quia pręterea inest naturalis dispositio: ideò hoc eget conseruatione illud pręseruatione.

Qua

Quaratione noſcat Medicus, quando vel vnum, vel plura Officia exercenda ſibi ſint. Et quæ ſint naturalia, præternaturalia, non naturalia. Cap. V.

SED quomodo, noſcet Medicus: quando, vel vnum, vel alterum, ex his officijs, obire debet, vel etiam omnia?

Reſpondetur meo modo, cum dubium quoq; ſit meum, quòd hoc fiet, cùm corpora noſtra (ſecundum Momi deſiderium) taliter feneſtrata non ſint, vt poſſimus ſemper oculis corporeis diſpoſitiones, in ipſis exiſtentes videre: fiet inquã, ſaltẽ oculis mentis, iuxta carmen Empedoclis à Simplicio citatum. Ἄλλα διέρχε νόῳ, μὴδ᾽ ὄμμασιν ἔσσ᾽ ἑορακός. id eſt.

Sed mente inſpice, neq; oculis cõſpicere ſperes. Per inſtrumẽtum Medicum, quod ϛοχασμός τεχνικός, ſeu τέκμαρσις, id eſt, artificialis coniectura, ſeu coniectatio dicitur, de qua nos infrà.

Tali ergo inſtrumento, eſſe vtendum, cenſeo.

Primò, quoniam turpe eſſet, Artificem inconſtãti fortunę, ſe committere, vbi ſunt inſtrumenta proprię Artis.

Secundò, propterea quod, niſi certa Methodo vtatur, ſemper erit dubius, an omnia inuenerit, an aliquid omiſerit, ex his, quę cõſeruanda, præſeruanda, aut curanda veniunt: quę res, quanti ſit momenti, & quantam certitudinem Arti noſtrę addat, puto omnibus perſpicuum fore.

Tertiò, quoniam Hippocrates. 2. de Officina Medici. 29. ait τεκμαρτέον, id eſt, (vt mihi videtur exponendum, & vox etiam ipſa indicat) per Artificialem coniecturam, venandum, quid faciat Natura: & in quo Medicus Naturę auxiliari debeat. Cui conſentit Galenus in Arte Medicinali cap. 72. aiens: *Tentare autem oportet quàm maximè fieri poteſt, uirtutem ipſorum, ac uitium; & ſi non certa ſcientia, ſaltem coniectura comprehendere.*

Quęcunque ergo, in libris Medicis conſiderantur ſunt.

Aut naturalia, id eſt, talia ex quibus ab ortu conſtamus: quę à principio generationis nobis inſunt: & ſine qbus, ne momẽto quidẽ temporis eſſe poſſumus, nec mutari valent, niſi longo tempore.

Vt,

Vt,ex Auicenna,elementa,humores,partes,complexiones, facultates,actiones,ętates.

Si autem, mihi liceret, ista naturalia, meo modo enumerare,

Primò omitterem elementa: quoniam elementa hominem constituentia, non considerantur à Medico, qui Medicus, incipit ab humoribus teste Galeno in 1 Hippocratis de Natura humana, tùm textu 13. *Cùm ex calido, frigido, humido, & sicco, facta sint omnia: ideoq́, hæc sint communia omnium elementa: hominis verò propria, sanguis, pituita, flauabilis, & atra. At, ne hæc quidem, verè propria appellabuntur, propterea quòd omnibus animantibus sanguineis, sint communia*: tùm textu 18. *Absoluto sermone, qui erat de communibus elementis institutus; in hac nobis proposita oratione, ad elementa sanguineorum animalium, in quibus homo etiā est, transit: ut, primum nobis ortum, duci, à sanguine, pituita, ac duplici bile, flaua, atque nigra: ac nobis, inde suppeditari, ut in uita vniuersa, permaneamus; atque, ex ijs totam hominis constare Naturam.*

Secundò vellem addere totum; vel saltem, ipsum subintelligere, in partibus: totum enim mutatur quandoque ad prętematuralitatem in complexione. Prętcrea fiunt vniuersales morbi, in nobis, totum occupantes, vt Atrophia, febris, macies, polisarcia, polihęmatia, Anasarca.

Tertiò, non quidem ponerem, loco ętatis spiritus: vt fecerunt aliqui, forsan moti ex eo, quòd non vident, quomodo ętas sit in prima nostri constitutione, in vtero scilicet matris, cùm tamen in mea magna Praxi, ex Galeno ego ostendam, de Hippocratis sententia, dari ætates hominis, non solùm extrà, sed & in matrice. Vbi ipse primum dicitur γονὴ, id est, gemitura; secundò κύημα, id est, conceptus; tertiò ἔμβριον, id est, fœtus; quartò παιδίον, id est, puer. Immo addo quoque & cadaueris eius post mortem: prout scilicet primò seruat perfectè figuram hominis, secundò parum mutatur, ita tamen, vt adhuc, possit cognosci, quòd fuerit homo, tertiò vt iam ab omni humana figura est alienus.

Adderem ergo spiritus vbi erant elementa, quę abstuli: dimitterem autem ętates suo loco.

Et in hoc disticho, ista Naturalia includerem, vt facilius, memorię mandarentur, à quolibet.

Spiritus,

Spiritus,& ſuccus, pars totum temperatura,
Et vis,poſt praxis, tandem numerabitur Ætas.

Aut præternaturalia, id eſt, naturalia illa, iam prædicta, quæ receſſerunt à ſtatu naturali.

Vel parùm: & ſunt Neutra. Cauſæ, diſpoſitiones, ſymptomata, ſeu ſigna.

Vel multum: & ſunt ægra. Cauſæ, morbi, ſymptomata, ſeu ſigna.

Oportet autem, ſic ſubdiuidere, præternaturalia in parum, & multum quoniam, niſi ſic facias tunc, Neutra, omitterentur, quæ neceſſariò, hic poni debent, in diuiſione: & ſunt præſeruanda.

Aut non naturalia, id eſt, talia ex quibus ab ortu non conſtamus, quæ à principio generationis nobis non inſunt; ſine quibus ſaltem, per aliquod temporis ſpacium viuere quimus,queque, mutari valent.

Quæ non naturalia, habent vim, quando quidem quis rectè ipſis vtatur, conſeruandi naturalia,præſeruandi neutra, curandi ægra: quando verò quis, non debitè, in illis, ſe regat, deducere naturalia ad Neutri ſtatum,& ad ægrum ſtatum. Vndè quamuis iſta Galenus, cauſas ſalubres appellet; tamen Recentiores, non naturalia nuncupant, & ob prædictam cauſam; & quòd quamuis nos ipſis,neceſſariò vtamur; tamen non ſunt talia,quę eſſentiam noſtram compleant.

Vt aer ambiens, cibus potus, euacuatio repletio, motus quies, ſomnus vigilia, animi paſſiones.

An verò, ſub euacuatione & repletione, debeamus intelligere, excreta, & retenta præter naturam; hoc parùm curo modò, coitus etiam,ſub his comprehendatur; aut vt vacuatio & repletio; aut vt retentum & excretum pręter Naturam:vt retentum, quando coitum valere ſinimus: vt excretum,quando nimis eo vtimur.

Quæ non naturalia,magna cum facilitate, per hoc vnum carmen, poſſunt, memoriæ infigi. Æth, Cib,Pot, Repl Vac,Mot Quiet, Somn & Vigil, An paſ.

Licet modò,prædictis tribus membris, Fernelius,addiderit etiam contranaturalia; tamen Argenterius in Artem Medicinalem & Valeriola in locis communibus, opinionem hanc Ferne-

lij, satis rectè confutarunt.

Dices, vnde motus es, vt credas Medicum, per ista naturalia, & nonnaturália, debere procedere, quando Artem suam exercere vult?

Respondetur tùm ex rei Natura, video enim Medicum, necessariò debere ista considerare, circa quę versaturus est; tùm ex verbis Galeni 1. ad Glauconem 1. *Qui verò & omnia quæ sunt secundum Naturam, & quæ præter Naturam ad eiusmodi Methodum reducit; atque ab omnibus his, per diuisionem inuentis, sufficientes sumit Indicationes; hic solus, quantum humanis permittitur viribus, medendo non errabit: atque illos quidem, quorum habet notitiam, melius curabit, quàm alios; ignotos vero proximè illis, quo ad fieri poterit ad sanitatem perducet.*

Sani conseruandi, Neutri præseruandi, Aegri curandi, quomodo cognoscantur per interrogationes, & per Artificialem Coniecturam. *Cap. VI.*

QVOMODO noscuntur sani?

Respondetur Primò, quia omnes actiones optimè exercere possunt.

Secundò, quoniam sunt robusti, non tantum in actionibus peragendis; sed etiam in resistendo causis morbificis.

Tertiò pulchritudinem naturalem habent, spectantem ad κοσμοτικὴν, id est, exornatoriam Medicinę partem; non autem ad κομμωτικήν, id est, comptoriam, quę pulchritudo, metienda est, non solùm bono colore, linearum concinnitate, carnis moderantia, partium congruentia, & constitutione optima corporis: verùm etiam εὐφυΐα, id est, consensu, & bona formatione partium omnium, inter se, & ad totum, in conspira-

conſpiratione actionum edendarum, quam Hippocrates οὐλομελίην nuncupat; hoc eſt vt ego ad verbum, verto, omnipartiam, ſeu totipartiam.

Qua via deprehenduntur Neutri?

Reſpondetur Primò operationes debiliter exercent.
Secundò ab omnibus offenduntur.
Tertiò incipiunt perdere, natiuam pulchritudinem.

Quo pacto dignoſcam ægros?

Reſpondetur Primò actiones ſanorum, obire, nequeunt.
Secundò debiles admodum ſunt.
Tertiò à minimis lædunter.
Quartò facti iam ſunt turpes.

Stantibus modò prædictis omnibus deuenio ad id, quod mihi principaliter eſt propoſitum, & quod proximè tangit actiones Medicorum.

Dico ergo, quod debet diligens Medicus, eos omnes examinare, circà quorum corpora verſaturus eſt; & inuenire in ipſis.

Quæ ſint naturaliter diſpoſita, nempe, ſpiritus, humores, partes, totum, complexiones, facultates, actiones, ætates.

Quæ ſint variata leuiter, ad ſtatum præter naturam, & facta neutra.

Quæ ſint mutata grauiter, ad ſtatum præter naturam, & facta inſalubria.

Quod faciet per multas interrogationes ab iſtis, petitas, & per artificialem coniecturam.

Sed quæ ſunt hæ Interrogationes?

Reſpondeo me de his longum ſermonem habuiſſe, in mea Iatropœia, propterea ad illum locum me remitto.

De Artificiali coniectura. Cap. VII.

QVID est Artificialis coniectura?

Respondeo Galenum, cōposuisse librum quendam, de demonstratione, in quo egit, de hac artificiali coniectura: quo libro, cùm nos careamus, non habemus, huius coniecturæ, absolutam tractationem.

Tamen, possumus venire in cognitionē, quidnam ipsa sit, si perlegamus, loca illa, in quibus, ipse Galenus, de artificiali coniectura, mentionem fecit, & illa addamus Hippocrati.

Primus equidem locus, habetur 2. de Ratione Victus 37. vbi inquit; *Eum, qui rectè vsus est artificiali coniectura, debere legisse omnes libros Medicos, memoria habere quæcunque legit, & exercitatissimus esse, in operibus ipsius artis.*

Ex quo loco colligo, quod Artificialis Coniectura procedit, per omnia, quæ commemoramus nos legisse, in libris Medicis, & quæ per experientiam deprehendimus, dum Artem exercemus.

Secundus verò locus, est in Arte Medicinali capite 72. vbi dicit, quod *coniectura artificialis non est quidem, ita exacta cognitio, vt scientia; tamen proximè accedit ad cognitionem scientialem.*

Tertius est Hippocratis 2. de Officina Medici 29. in quo dicitur, quod *oportet, coniectura artificiali, venire in cognitionem operis ipsius Naturæ.*

His stantibus à me diffinitur, Artificialis coniectura quòd est instrumentum procedens, per omnia visa, in libris Medicis, & experta à Medicis, dùm Medicinam faciunt, ducens in cognitionem, non quidem exactam, qualis est scientia, tamen scientiæ proximam actionum naturę, circa corpora humana in quibus actionibus, Medicus opitulari debet ipsi Naturæ.

Non sum nescius Artificialem Coniecturam ad alia etiam vsui esse, pręterquam ad dicta; vt ad morbos cognoscendos affectos locos distinguendos causas inueniendas, vires æstimandas, vi-

ctum ordinandum: tamen hucusque solùm placuit progredi, quantum ad præsens negocium attinet, & præsertim, quoniam ad calcem huius libri, dabo exemplum pro ea, in quo apparebit, quomodo plurima ex propositis per ipsam, elucescant.

Postulabis quomodo Artificialis Coniectura, faciat cognoscere actiones naturæ, circa corpora nostra? quę quidem dubitatio, nec ab vllo vnquam proposita fuit, quod sciam, nec etiam soluta.

Respondeo hoc modo. Cum enim per ipsam noscantur dispositiones occultæ, quæ sunt in corporibus nostris, & cum subito notis dispositionibus sit etiam apertum quid facere debeat Natura propter illas dispositiones (natura enim est agens ita perfectum, vt non erret in suis operationibus, immò ex possibilibus facit id quod melius est: & si aliquando malè operatur, testibus Philosophis defectus est potius attribuendus potentiæ passiuæ, quàm actiuæ) ergo illis notis affectibus per consequens est etiam clarum, quæ sit actio, vel quæ sint actiones Naturæ in casu.

Quid autem absurdi esset, si & Hippocratem nostrum assereremus 5. in 6. Epid. 5. falsum esse, quod Natura id, quod melius est, agat, cum scripsit, *Anima hominis semper φύεται?* quod vel Galeno teste à nonnullis expositoribus est interpretatum pro βελτίων γίνεται, id est, melior fit, quasi quod ipsa anima hominis continuò in melius aspiret procurando, dum sibi licet, vt eius subiectum in melius proficiat. Cuius contrarium euenit quando ἐμπυρωθῇ, id est ad igneum conuersa fuerit; quo pacto tamen intelligendus sit hic locus, aliàs apertè diximus.

Quomodo Artificialis Coniectura est proxima scientiali cognitioni, si in ea non sunt aliquæ rationes?

Soluitur, vel si non sunt rationes explicitæ, adsunt tamen rationes implicitę: quandoquidem, cum ex hoc instrumento elliciam & effectus, & causas, possum deinceps procedere, à causa ad ipsum effectum, & probare effectum per causas. Eo modo quo dicunt Logici, quòd qui habet diffinitionem, habet demonstrationem sola positione differentem. Et eo modo, quo qui habet demonstrationem quia, quando postea inuenit propter quid, potest regredi ad ipsum effectum.

Vel dico, quod in artibus, vt plurimum non fiunt rationes, sed

exequun-

exequuntur actiones pro conclusione, quæ ex principijs deberet ellici. Et de hac re habetur auctoritas Aristotelis libro de motibus Animalium.

Quoniam intellectus quandoque quidem operatur, quandoque autem non operatur: & mouet quaandoque, aut non mouet: uidetur similiter accidere, & de immobilibus intelligentibus & syllogizantibus. Sed ibi quidem theorema finis.

Cum enim duas propositiones intellexerit, conclusionem intellexit, & composuit, ut puta cum intellexerit, quia omni homini ambulandum, ipse homo ambulat confestim.

Si autem quod nulli nunc ambulandum homini; ipse autem homo statim quiescit, &c.

Et forte hoc est id, quod vult dicere Galenus, quod *indicatio est comprehensio iuuantis ex cognitione nocentis sine ratiocinio.* Intendit enim innuere, non quod non possit fieri ratio: sed quod Medicus absque hoc quod formet rationem, exequitur conclusionem, quam posset ex præmissis inferre: mauult enim exequi quàm inferre.

Vel dico quod possumus in cognitionem istarum rerum venire post artificialem Coniecturam habitam per alia, quæ posteà perficiant scientiam illam non ita adhuc exactam, ipsius artificialis Coniecturæ, nempe per συμπαρατύρησιν, id est, coobseruationem & per Anatomiam, scilicet per omnia φαινόμενα, hoc est apparentia ex dissectione corporum.

Cuius difficultatis ac solutionum, me quoque profiteor Auctorem.

Concludo Medicum, per prædicta, venire in cognitionem eius quod sibi erat ignotum, an conseruandum, præseruandum, curandum, vt auxilietur Naturæ.

An

An consulendum num Medicus debeat conseruare, preseruare, curare. Cap. VII.

INQVIES. Frustra Medicus, consulit hoc, quæ sint illa, in quibus debet opitulari Naturæ; an scilicet in conseruando, an in præseruando, an in curando; scripsit enim Aristoteles 3. Moralium: *Nec sanè de finibus consultamus, sed de his, quæ sunt ad finem*; quasi quòd non sit consulendum, an debeamus conseruare, præseruare, curare, sed potius de eo per quod debeamus ista præstare.

Satisfaciendum existimo.

Vel Aristotelem intelligere, consultationem debere, non esse de fine; sed de medijs ad finem ducentibus, loquendo de consultatione quæ immediatè respicit opus, id est, qua habita, statim operamur. At, in nostro casu consilium, quod fit, an conseruandum, an præseruandum, an curandum: hoc consultum non immediatè respicit opus; quia hoc habito, statim non operamur: respicit ergo potius cognitionem, quid agẽdum sit, quàm vltimum opus; oportet enim hac cognitione præhabita deinceps inquirere, quomodo operandum.

Vel dico, quòd quando etiam consulimus, an conseruandum, prę-seruandum, curandum, præsupponitur finis, & quæruntur media, & non finis. Præsupponitur enim finis vniuersalis, quod corpus propositum, est ita sanitatis susceptiuum, vt de eius sanitate, possit quæri, & consultari, an conseruanda, an præseruanda, an curanda, quo determinato, scrutamur media ad dignoscendum, quomodo nunc sit affectum, vt debeat, vel conseruari, vel præseruari, vel curari. Quo etiam discusso & præsupposito, tanquam fine, tunc erunt media inuenienda, per quæ vel conseruetur, vel pręseruetur, vel curetur. Est autem id, quod communiter dicitur, quòd Theorica dirigit in Praxim, prius enim oportet vniuersalem finem cognoscere, deinde particulares fines, & tandem operari. Immò hoc est, quod voluit innuere Galenus. 10. Methodi. 6. quando scripsit; quod *dignotio præcedit prænotionem, & curationem*.

Qua

Quæ agenda à Medico cum nouit quid præstandum. Cap. IX.

DEINDE, inuentis naturalibus, prçternaturalibusq; parum ac multum; assero, quod debet Medicus discurrere, quç non naturalia, deduxerint naturalia, ad illos status prçter naturam, & etiam quomodo.

Posteà, regulare eadem non naturalia, vt perstent causæ salubres, & nõ durent causç morbificç. Sic enim conseruabit, quç naturalia sunt.

Deinceps, prçcauere dispositiones neutras, ne vlterius eant, sed potius regrediantur; à neutro decidentiç, ad neutrum conualescentiç.

Tandem curare prçsentes morbos.

Sed quomodo conseruabuntur Naturalia?

Respondetur naturalia conseruabuntur similibus, iuxta regulam Medicorum. Similia similibus conseruantur.

Quomodo çgra curanda?

Respondetur contrarijs. Regula enim est; Contraria contrarijs curantur.

Qua ratione neutra prçseruabuntur?

Respondetur per contraria etiam; leuiora tamen quàm sint illa, quç curant. Ita enim docet Galenus libro de curatione per sanguinis missionem capite 9. addendo testimonium Hippocratis. 3. in 6. Epidimion 40.

Anteuertit enim Hippocratis doctrina, qua nos docet; quæcunque morbis præsentibus rectè peraguntur, aut incipientibus, aut imminentibus prçuertenda.

Ex quo colligite.

Primò quod quando curamus, quamuis etiam prçseruemus; tamen à curatione obscuratur quodammodo prçseruatio: Cùm sit, quod qui facit plus curando; exequitur etiam minus scilicet prçseruationem.

Secundò quod male dubitatur, an prçseruatio sit eadem cum con-

seruatione, cum aduersus iter habeat quàm ipsa.

Potius enim esset quærendum an sit eadem cum Curatione, propterea quod procedit per contraria, vt Curatio.

De his autem omnibus, dabo exemplum, postquam totam diffinitionem Medicinæ, iam propositam perfectè absoluero.

Per Diętam, Pharmaciam, Chirurgiam; quæ sunt instrumenta, quibus sanitas, conseruatur, præseruatur, curatur.

Cur in definitione Medicinæ addatur particula illa. Cum Natura. Cap. X.

CVM *Natura*, necessariò hoc ponitur in diffinitione Medicinæ, quoniam (vt ait Auicenna) *natura, est illa, quæ curat morbos; Medicus autem, facit peruenire instrumenta ad virtutem, atque ad Naturam*. Immò, vt dicit Hippocrates 5. in 6. Epidimion. 1. *Naturæ sunt morborum medicatrices, Medicus verò minister.*

Et si quis petat. Cur tu non dicis *Ministrum Naturæ*, quemadmodum Hippocrates? & quemadmodum consensus est omnium Medicorum vsque ad hæc nostra tempora, sed dicis, *cum Natura*?

Respondeo, vt notem differentiam, quæ est in actionibus Medici, quas exercet cum ipsa Natura. Aliquando enim Medicus est Minister Naturæ; Aliquando socius. Aliquando superior.

Minister siquidem est. Cùm naturæ ministrat medicamenta determinata per artem, in quantitate, qualitate, tempore, ordine.

Socius quando ita operatur, vt ipsa.

Hippocrates autem in libro Præceptionum; Medicum socium artis, dicit his verbis. *Bonus Medicus, qui ab artis coniunctione, socius artis appellatur.* Cùm ergo Ars, sit socia Naturæ & Medicus, sit socius Artis, etiam erit socius Naturæ.

Quo loco notandum magis Medicum dici socium Artis quam Naturam, propterea quod Medicus quidem semper secundum

artem operatur (nisi ignarus sit.) natura verò modo per artem modo inartificiosè se gerit.

Superior. Cùm corrigit ipsam errantem.

Et præsertim, quando symptomaticè agit.

Sicut enim non debemus sequi motum aut furentis, aut ab alio impulsi, ac irritati; ita Medici, non debent sequi Naturam, symptomaticè agentem.

Cùm facit illa, quæ Natura sola, non posset facere, vt vacuare, purgare.

Quando ea peragit, quæ Natura, nullomodo præstare posset; vt ossa curuata dingere, coniungere ossa luxata, callum vulneris tollere, fistulam sanare, sextum digitum auferre, acrochordones remouere.

Debet ergo Medicus, cùm sibi proponitur, corpus aliquod tractandum.

Primò, videre, an debeat auxiliari ipsi Naturæ. Nam si minimus morbus, Natura potest per se sola opus perficere, & non eget Medici ope: & tanto minus, quanto auxilia à Natura applicita, sunt familiariora, quàm remedia ab Arte inuenta.

Adde, quòd cauendum est, ne diuertamus Naturam ab eo opere, quod rectè facit; propterea quod 4. de Ratione Victus tex. 115. scriptum est; *Horum neminem medicaberis: nam & periculo ęgrum expones, & nihil iuuabis, & liberationes, ac indicationes, quæ spontè fiunt impedies.*

Iure ergo Hippocrates 2. de Articulis textu 49. auream hanc sententiam protulit.

Interdum optima Medicina est; Medicinam non facere, & ad aurem, & ad alia multa.

Si maximus & desperatus; morbis desperatis non debent à Medico, remedia afferri, ne maxima auxilia infamentur, quæ pluribus alijs fuere saluti.

Si mediocris, tunc Naturæ suppetias ferre, opportet.

De hac tamen re, longior habetur sermo, in mea Iatropœia.

Obijcies. Si natura potest aliquãdo curare, sine ope Medici, quod difficilius est, quàm conseruare. Ergo etiam conseruare poterit sine ope Medici, quod est facilius; nunquam igitur Natura, egebit Medico auxiliatore in conseruando.

Soluitur, quantum sit ex parte Naturæ tantùm, vtiq; difficilius esse

curare,

curare, quàm conseruare. Sed quoniam ad conseruationem, & ad curationem, non solùm concurrit Natura, sed etiam ęger, qui voluntate sua operando potest esse, aut adiumento, aut impedimento Naturæ, in curatione, & in conseruatione; hinc fit, vt aliquando conseruandum corpus, sit difficilius ad conseruandum, quam ægrum ad curandum. Et præsertim, quia curatio morbi parui, fit in breuissimo tempore à Natura, antequàm æger peccet in ratione victus. Sed conseruatio, cum procedat, per totam hominis vitam; hinc euenit, quòd in tam longo spacio temporis, homo delinquat.

Hæc circa dubium hoc nostrum dicenda, autumo.

Secundò considerare. An debeat agere vt minister. An vt socius. An vt superior. De hac enim re, me exponente, habetur pręceptum Hippocratis. 1. Aphorismorum. 1: *Nec solum seipsum*, scilicet Medicum, *præstare oportet, opportuna facientem, sed & ægrum*, id est, non solum ęgrum exteriorem, sed & naturam interiorem ægri; oportet talem præstare, vt opportuna faciat. Quòd modo per ægrum debeat intelligi, non solùm æger, sed natura quoque ægri, patet per alium locum Hippocratis, nempe. 2. in 1. Epidimion textu 51. cum scribit. *Ars tribus constat, Aegroto, Morbo, Medico*. Ibi enim dico quòd per ægrum, nisi subintelligas Naturam ęgri, omittitur id, quod est Medicinæ anima, ac spiritus.

Si itaque rectè operetur Natura; & præstare possit omnia, quæ necessaria sunt in illa operatione.

Debet Medicus ipsam imitari, & adiuuare in illa actione, tanquam Minister. Si rectè operetur, & præstare non possit omnia, quę sunt necessaria in illa actione.

Tunc tenetur Medicus illam imitari, & præstare illud, quòd à Natura fieri non potest, tanquam socius. Et hæc doctrina, est Hippocratis. 8. in 6. Epidimion 10. cum ait: *An tētata expulsione superarit*. Galenus enim sic exponit; *Monet videndum esse; an cum Natura excretionem aggressa est, suo conatu morbum superarit, & vitiatos humores penitus excreuerit. Hoc autem cognoscet Medicus, duobus illis instrumentis, quæ nos in Aphorismis designauimus hoc est, si contulit, & æger facilè fert; tunc enim scimus, morbum esse profligatum & nihil reliquiarum superesse. Alioquin cum tentauit, nec præstare totam rem Natura, potuit: debet Medicus adiuuare*

ne recidiua statim subsequatur; ut solet excitari, si quid sit relictum in corpore, quod afferre morbum possit.

Et 9. Meth. 5. *Sin sequitur necessario vacuatio quapiam tantum illi de eo, quod superfluum est, relinquendum quantum est, per eam vacuandum. Itaque si tempore mittendi sanguinis menses moueri contigerit, siue etiam hæmorrhois sit reclusa, si inspectus fluentis impetus satis fore videbitur, qui solus, quod requirit vacuet naturæ rem omnem permittes, sin minus, tantum ipse detrahes, quo ex coniunctis ambobus perficiatur, quod postulas.*

Sic etiam dixit Auicenna. *Quando Natura non mouet, moue tu in hora motus eius.*

Si non rectè operetur Natura vt.

Quod transmittat materiam à loco ignobili ad nobilem.

Quod purget per partem affectam.

Quod multam materiam transmittat ad locum, qui non sit tantæ capacitatis quanta requiritur ad illam recipiendam.

Vt patet 6. in 6. Epidimion tex. 13.

Quod symptomaticè operetur.

Quando prorumpit: tunc enim corrigenda est.

Tunc non debet eam imitari: sed potius tenetur ipsam corrigere, tanquam superior. Galenus enim in 1. de humoribus tex. 2. docet optimam rationem curandi esse, si Natura vacuat per loca non conferentia cum Medicus, cogit ipsam verti ad loca opportuna.

Immò, primò de humoribus tex. 13. adducit contextum Hippocratis ex sextò de vulgaribus morbis, vbi ipse inquit. *Reuellendum esse, si non qua oportet Materia vergat, & si qua oportet his aperire, quemadmodum singula uergant.*

Rursus, in eodem lib. tex. 14. inquit Galenus. *Deinceps uerò post deriuationem, de reuulsione agendum putauit, ut humorem non progredientem ducamus. Si enim infectus humor excernatur, ac moderata sit euacuatio, sinendum est ut fiat, neque ulla cura adhibenda. At si immoderata sit, aliquid à Medico faciendum est: ut modo copiam eius nimiam cohibeat, modò eius defectionem irritet.*

Epilogus

Epilogus totius definitionis Medicinæ Hippocratis: Cap. XI.

IAM habetis diffinitionem Medicinæ, quàm innuit Hippocrates in prohœmio libri de aere, aquis, locis.

Cuius sufficientiam subdo. Siquidem explicat Medicinæ materiam, formam: Efficiens, finem, Officia, instrumenta.

Materia enim est.

Prima homo salubris, insalubris, neuter, materia videlicet in qua, vel de qua, vel circa quam.

Secunda sanitas materia inquam, ad quam, vel cuius gratia, vel quæ.

Tertia auxilium, materia scilicet à qua, vel ex qua, vel per quam, vel cum qua.

Efficiens est. Primò Natura. Secundò Medicus. Tertiò instrumenta prædicta.

Postulabis cur non addis fortunam?

Primò enim videmus interdum aliquos, nec à Natura, nec ab Arte sanatos, sed à fortuna vt nonnullos habentes vomicam, per concussionem magnam fortuna liberatos, & alios hydropicos, qui ex vulnere in abdomine illato conualuerunt.

Secundò Galenus 11. Meth. 1. inquit. *At uero cum sanitatis causæ sint omnia, quæ sanitatem efficiunt, una certè earum est, quod auxilium remediumuè uocatur: quod pro uarijs notionibus, & ultima & prima sanitatis causa rectè dicitur, quippe tempore ultima erit, propterea quod tempore.*

Natura & ars, & fortuna priores eo sanitatis causæ sunt: prima uero est, quatenus id laborantis corpus tangit, alteratq; eius affectum, ac propter alterationem, quam id facit, cum ægra corpora ad sanitatem perducuntur Ars & Artifex sanitatis causæ fiunt: nō quod hæc morbos primum submoueant, sed alia materia ad id commoda intercedente, quod auxilium appellatur.

Respondetur nos de fortuna nō curare, quç enim sorte eueniunt, non

non possunt in artem redigi, & nos rationales artifices sumus. Scripsit autem Plato in Gorgia seu de Rhetorica, *Peritiam Ars, imperitiam fortuna sequitur.*

Et in Menone seu de virtute subiunxit, *quę enim fortuna cotingunt, imperio hominis nequaquam fiunt.*

Forma est sanitas inducta actu.

Finis est sanitas in mente Artificis.

Officia sunt; Primum conseruare. Secundum præseruare. Tertium curare.

Instrumenta cognitionis sunt.
- Primum ratio.
- Secundum experientia.

Instrumenta operationis sunt.
- Primum dięta.
- Secundum Pharmacia.
- Tertium Chirurgia.

Dices video, quidem in diffinitione Medicinę, vbi comprehendatur materia, forma, Efficiens finis officia instrumenta operationis; sed nulla adest particula indicans instrumenta cognitionis; nempè rationem & experientiam.

Soluitur, cum dicitur, quòd Medicina est ars: sub voce hac, Ars, includitur, tàm ratio, quàm experientia: Omnes enim artes, ratione & experientia incedunt.

EXER-

EXERCITATIO AD OFFICIA MEDICA.

Prohœmium ad Exercitationem. Cap. XII.

QVONIAM Cicero 1.de Officijs habuit hæc verba. *Sed vt nec Medici, nec Imperatores, nec Oratores, quamuis artis præcepta perceperint, quicquam magna laude dignum sine vsu, & exercitatione consequi poßunt. Sic officij conseruandi præcepta traduntur, illa quidem vt faciamus ipsi, sed rei magnitudo, vsum quoque exercitationemq́; desiderat.*

Ideò ego, non sum contentus his, quæ de officijs Medicis, iam à me sunt proposita: sed etiam duxi necessarium esse, in quibusdam casibus particularibus Auditores exercere.

Primum & secundum Exemplum principaliter sunt intenta. Tertium subiunxi vt Indicationum materia appareat, postremum Artificiali Coniecturæ deseruiet, nouissimè de ratione optima curandi tractatur, vt id appareat quod in primo collegio sum policitus.

Nec vitio mihi vertatur, si paulo longius in Exemplis istis me extendam, & quàm ratio consultandi expostulet, quoniam sine multis verbis magnæ res, explicari non possunt.

EXEM-

EXEMPLVM PRIMVM CONSVLTI,

De conseruatione, & præseruatione. *Cap. XIII.*

IN casu Nobilis Viri, quæritur. An salubris, vel insalubris, vel neuter, vt sciamus, an conseruandus sit, an præseruandus, an curandus.

Pro cuius rei intellectione, Notandum est, quòd in hoc corpore tria genera rerum reperiuntur, Naturalia, Præternaturalia, Nonnaturalia; quodque secundum genus, id est, præternaturalia diuiduntur, in præternaturalia parum, & præternaturalia multum.

Ex his autem omnibus, Naturalia sunt conseruanda; præternaturalia parum, sunt prçseruanda, prçternaturalia multum sunt curanda. Nonnaturalia sunt regulanda, [illegible]emaneant causæ salubres, & non euadant causæ morbificæ.

Quapropter discurramus, per omnia ista rerum genera, vt sciamus, in quo genere, patiens sit reponendus, & quid, circa ipsum, agere debeat Medicus.

Naturalia sunt, spiritus, humores, partes, totum, complexiones, facultates, actiones, ætates.

Præternaturalia parum sunt Neutra, causæ dispositiones, symptomata & signa.

Præternaturalia multum sunt Ægra, causæ morbi, symptomata, & signa.

Nonnaturalia sunt Aerambiens, Cibus potus, Vacuatio repletio, (sub his comprehendendo coitum) motus quies, somnus vigilia, animi passiones.

Quæ

Quæ quidem, in casu nostro ita se habent. Quo ad Naturalia.

Spiritus non sunt ita boni, elaborati, puri, clari consistẽtes, quemadmodum deberent esse; sunt ergo potius pseudopneumata quàm spiritus; prætereà non sunt in ea quantitate debita, qua deberent.

Humores quo ad substantiam non sunt mutati, habent enim substantiam, sanguis sanguinis, pituita pituitæ &c.

Similiter non sunt mutati humores, quoad qualitates eorum, quoniam sanguis est calidus humidus, bilis calida sicca &c.

Quoad qualitatem tamen sunt mutati; nam bilis est facta calidior quam par sit; sanguis magis tenuis quàm decet, Melancholia magis adusta quàm conueniat.

Quoad proportionem quoq; sunt immutati, & sunt Cacochimi, quoniam amiserunt proportionẽ suam ἀρχαίαν, & antiquam, quam ab ortu habuerunt, non quidem secundum pondus; sed secundum iustitiam.

Nam exempli causa ante sanguis erat antiqua proportione, vt 20. pituita, vt 8. bilis, vt 4. atrabilis vt 3.

Sed nunc sanguis est in minori proportione, quàm 20. pituita in maiori proportione, quàm 8. bilis, quàm 4. atrabilis, quàm tria.

Quoad quantitatem etiam humores sunt mutati, siquidem caussant plenitudinem in corpore, non quidem vniuersalem, & secundum pondus, ac vires: sed particularem & secundum vasa. In capite enim & ventriculo redundat pituita: in hepate, & partibus circunstantibus omne genus humorum.

Partes. Istæ non sunt immutatæ, Nisi dicamus esse imminutam partem deputatam receptioni excrementorum; id est, venas hæmorrhoidales, quæ incisæ fuerunt per transuersum, & ést ac si non sint in corpore: incisæ autem fuerunt; non quia ducerent sanguinem & debilitarent; sed quoniam erant tumidæ, vt ouum, & egrediendo, ac ingrediendo anum, erant impedimento.

Totum est mutatum ex mutatione partium: prętereà quoad complexionem, vt in temperatura dicetur.

Complexio immutata est. Nam vniuersalis naturalis temperatura totius corporis quæ ab ortu erat calida humida; vt patet ex venarum latitudine, & ex glabricie vniuersi corporis mutata

F est

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

est ad frigidam & siccam. Complexiones, Particulares, Capitis est calida calore præter naturali ab obstructionibus. Frigida calore naturali, & per commercium materiæ.

Sicca substantialiter, humidior excrementis. Ventriculi est frigida humida.

Cordis est frigida & sicca. Hepatis est calida calore præternaturali ab obstructionibus, nam primò communicatur maxima caliditas thoraci, capiti, naso, ori. Secundò calor retentus in sanguinolentis visceribus non descendit ad extrema, & ita extrema sunt semper frigidissima, frigida calore naturali, humida per commercium materiæ.

Sicca substantialiter: vnde communicatur maxima siccitas thoraci, capiti, naso, ori. Cum qualitate occulta gallica: timuit enim aliquando de casu pilorum, & adstringentia capiti admouit, vnde eo tempore secutus dolor capitis intolerabilis.

Facultates sunt immutatę, quoniã debiliores quàm prius existunt.

Actiones istæ sunt diminutæ.

Capitis, vt patet de actionibus naturalibus in catarrho descendente ad os. In auditu auris sinistræ qui valdè est imminutus, & hęc auris tumet etiam exterius. In visione oculi dextri, qui parum cernit, & aliquando deprauatè vt muscas & culices qui sunt varij coloris pro materia quę repræsentatur. Et ambo oculi continuam grauedinem patiuntur. In lingua quæ est impedita in loquendo: & in qua dubium est de ranunculo βατράχῳ. In vigilijs multis noctu. In cernendis spectris melancholicis nocturnis. In imaginatione deprauata; est enim melancholicus. Augentur autem ista, quia nasus, aut nihil, aut parum ducit, qui nasus sentitur calidissimus, & siccissimus, & quæ caliditas ac siccitas, sentitur etiam in orę.

Cordis; non enim suo calore influēte actuat, nec ad Entelechiam deducit, vt deberet calorem natiuum aliarum partium: & præsertim, vt dixi, extremarum: patitur dolorem continuum, angustias, palpitationes, flatus, & rugitus in tota ea regione melãcholia maxima tenetur cum męstitia & timore.

Naturalium partium. Vnde non benè attrahunt retinēt coquunt, expellunt, stomachi grauedinem patitur, est videtur sibi quod detrahatur. Nephriticis doloribus & calculo & subiectus.

Extremorum; vnde semper sunt frigida, & arthritidi est obnoxius.

Cum

Cum enim aliàs podagra & genuagra laborauerit; in mẽse Augusti anni 1587. in genu dextro genuagra superuenit cum tumore, dolore, calore. Phlebotomatus autem consilio Excellentissimi Parolini, eodem die hora 24. à brachio eiusdem lateris, hora secunda, noctis erat quidem omninò liber à tumore, dolore, calore ipsius genu: hora veró 7. noctis, in humero sinistro superuenit Arthritis, posteà in manu sinistra; deinde in vtrisq; pedibus, & tandem in genubus vtrisque.

Aetas: ista non est immutata. Est enim in primo senio cũ agat annum 53. ætatis suæ, licet possimus dicere, quod sit accelerata senectus, secundum tem, si non annis: quia habitus hic, est quodámodo magis senilis, quàm par sit his annis; cum sit, valde siccus substantialiter, humidus excrementis.

Præter naturalia parùm mutata sunt naturalia prædicta, vt à naturalitate parum lapsa euaserunt.

Causæ neutræ. Cacochimia iam dicta. Plenitudo. Actionum naturalium debilitas. Euacuationes interceptæ, siquidem Nasus solitus purgare nihil emittit: Hæmorrhoides non emittunt superflua, quæ anteà admittebãt: cauteriorum clausorum, vacuationes interceptæ sunt. Articulorum, renumque materierum receptio prohibita est.

Dispositiones neutræ, obstructio in capite, in hepate, & in partibus omnibus naturalibus. Intemperaturę vniuersi corporis: Intemperaturæ particulares capitis; Ventriculi, cordis, hepatis, melancholia: Tumor in aure sinistra.

Quæ dispositiones (ex Galeno lib. de inęquali intemperie cap. 5. in his verbis: *Porrò terminus mutationis est, cuiusq; particulę functionis læsio. Ad quem usq; terminum omnis actionis latitudo uia est in id quod præter naturã est ueluti mixtum cõmuneq́, ac medium quoddã, ex cõtrarijs utrisq; compositum ipso naturali prorsus affectu, & eo qđ iam planè est præter naturam*) non debent dici morbi, nondum enim sunt ita auctæ, vt impediant actiones solitas sanorum; potius ergo sunt dispositiones neutræ, quàm morbi.

Symptomata neutrá, Actiones debiles, aut etiã deprauatę iam dictę. Exiẽs mutatũ destillationis, Retẽtę excretiones iã dictę. Affect⁹ corporis, calor, frigiditas, siccitas, humiditas, dolor, rugitus, grauedo. *Præternaturalia multum;* id est ægra, causæ morbi, symptomata non adsunt, cum actiones sanorum adhuc exerceat.

 Sunt

artem operatur (nisi ignarus sit.) natura verò modo per artem modo inartificiosè se gerit.

Superior. Cùm corrigit ipsam errantem.

Et præsertim, quando symptomaticè agit.

Sicut enim non debemus sequi motum aut furentis, aut ab alio impulsi, ac irritati; ita Medici, non debent sequi Naturam, symptomaticè agentem.

Cùm facit illa, quæ Natura sola, non posset facere, vt vacuare, purgare.

Quando ea peragit, quæ Natura, nullomodo præstare posset; vt ossa curuata dingere, coniungere ossa luxata, callum vulneris tollere, fistulam sanare, sextum digitum aufferre, acrochordones remouere.

Debet ergo Medicus, cùm sibi proponitur, corpus aliquod tractandum.

Primò, videre, an debeat auxiliari ipsi Naturæ. Nam si minimus morbus, Natura potest per se sola opus perficere, & non eget Medici ope: & tanto minus, quanto auxilia à Natura applicita, sunt familiariora, quàm remedia ab Arte inuenta.

Adde, quòd cauendum est, ne diuertamus Naturam ab eo opere, quod rectè facit; propterea quod 4. de Ratione Victus tex. 115. scriptum est; *Horum neminem medicaberis: nam & periculo ægrum expones, & nihil iuuabis, & liberationes, ac indicationes, quæ spontè fiunt impedies.*

Iure ergo Hippocrates 1. de Articulis textu 49. auream hanc sententiam protulit.

Interdum optima Medicina est; Medicinam non facere, & ad aurem, & ad alia multa.

Si maximus & desperatus; morbis desperatis non debent à Medico, remedia afferri, ne maxima auxilia infamentur, quæ pluribus alijs fuere saluti.

Si mediocris, tunc Naturæ suppetias ferre, opportet.

De hac tamen re, longior habetur sermo, in mea Iatropœia.

Obijcies. Si natura potest aliquãdo curare, sine ope Medici, quod difficilius est, quàm conseruare. Ergo etiam conseruare poterit sine ope Medici, quod est facilius; nunquam igitur Natura, egebit Medico auxiliatore in conseruando.

Soluitur, quantum sit ex parte Naturæ tantùm, vtiq; difficilius esse curare,

curare, quàm conseruare. Sed quoniam ad conseruationem, & ad curationem, non solùm concurrit Natura, sed etiam ęger, qui voluntate sua operando potest esse, aut adiumento, aut impedimento Naturæ, in curatione, & in conseruatione; hinc fit, vt aliquando conseruandum corpus, sit difficilius ad conseruandum, quam ægrum ad curandum. Et præsertim, quia curatio morbi parui, fit in breuissimo tempore à Natura, antequàm æger peccet in ratione victus. Sed conseruatio, cum procedat, per totam hominis vitam; hinc euenit, quòd in tam longo spacio temporis, homo delinquat.

Hæc circa dubium hoc nostrum dicenda, autumo.

Secundò considerate. An debeat agere vt minister. An vt socius. An vt superior. De hac enim re, me exponente, habetur pręceptum Hippocratis.1. Aphorismorum.1. *Nec solum seipsum*, scilicet Medicum, *prestare oportet, opportuna facientem*, *sed & ægrum*, id est, non solum ęgrum exteriorem, sed & naturam interiorem ægri; oportet talem præstare, vt opportuna faciat. Quòd modo per ægrum debeat intelligi, non solùm æger, sed natura quoque ægri, patet per alium locum Hippocratis, nempe.2. in 1. Epidimion textu 51. cum scribit. *Ars tribus constat, Aegroto, Morbo, Medico*. Ibi enim dico quòd per ægrum, nisi subintelligas Naturam ęgri, omittitur id, quod est Medicinæ anima, ac spiritus.

Si itaque rectè operetur Natura; & præstare possit omnia, quæ necessaria sunt in illa operatione.

Debet Medicus ipsam imitari, & adiuuare in illa actione, tanquam Minister. Si rectè operetur, & præstare non possit omnià, quę sunt necessaria in illa actione.

Tunc tenetur Medicus illam imitari, & præstare illud, quòd à Natura fieri non potest, tanquam socius. Et hæc doctrina, est Hippocratis.8. in 6. Epidimion 10. cum ait: *An tētata expulsione superarit*. Galenus enim sic exponit; *Monet videndum esse; an cum Natura excretionem aggressa est, suo conatu morbum superarit, & vitiatos humores penitus excreuerit. Hoc autem cognoscet Medicus, duobus illis instrumentis, quæ nos in Aphorismis designauimus hoc est, si contulit, & æger facilè fert; tunc enim scimus, morbum esse profligatum & nihil reliquiarum superesse. Alioquin cum tentauit, nec præstare totam rem Natura; potuit: debet Medicus adiuuare*

 ne recidiua

ne recidiua statim subsequatur; vt solet excitari, si quid sit relictum in corpore, quod afferre morbum possit.

Et 9. Meth. 5. *Sin sequitur necessario vacuatio quæpiam tantum illi de eo, quod superfluum est, relinquendum quantum est, per eam vacuandum. Itaque si tempore mittendi sanguinis menses moueri contigerit, siue etiam hæmorrhois sit reclusa, si inspectus fluentis impetus satis fore videbitur, qui solus, quod requirit vacuet naturæ rem omnem permittes, sin minus, tantum ipse detrahes, quo ex coniunctis ambobus perficiatur, quod postulas.*

Sic etiam dixit Auicenna. *Quando Natura non mouet, moue tu in hora motus eius.*

Si non rectè operetur Natura vt.

Quod transmittat materiam à loco ignobili ad nobilem.

Quod purget per partem affectam.

Quod multam materiam transmittat ad locum, qui non sit tantæ capacitatis quanta requiritur ad illam recipiendam.

Vt patet 6. in 6. Epidimion tex. 13.

Quod symptomaticè operetur.

Quando prorumpit: tunc enim corrigendá est.

Tunc non debet eam imitari: sed potius tenetur ipsam corrigere, tanquam superior. Galenus enim in 1. de humoribus tex. 2. docet optimam rationem curandi esse, si Natura vacuat per loca non conferentia cum Medicus, cogit ipsam verti ad loca opportuna.

Immò, primò de humoribus tex. 13. adducit contextum Hippocratis ex sexto de vulgaribus morbis, vbi ipse inquit. *Reuellendum esse, si non quæ oportet Materia vergat, & si qua oportet his aperire, quemadmodum singula uergant.*

Rursus, in eodem lib. tex. 14. inquit Galenus. *Deinceps uerò post deriuationem, de reuulsione agendum putauit, ut humorem non progredientem ducamus. Si enim infectus humor excernatur, ac moderata sit euacuatio, sinendum est ut fiat, neque ulla cura adhibenda. At si immoderata sit, aliquid à Medico faciendum est: ut modo copiam eius nimiam cobibeat, modò eius defectionem irritet.*

Epilogus

Epilogus totius definitionis Medicinæ Hippocratis. *Cap. XI.*

IAM habetis diffinitionem Medicinæ, quàm innuit Hippocrates in prohęmio libri de aere, aquis, locis.

Cuius sufficientiam subdo. Siquidem explicat Medicinæ materiam, formam: Efficiens, finem, Officia, instrumenta.

Materia enim est.

Prima homo salubris, insalubris, neuter, materia videlicet in qua, vel de qua, vel circa quam.

Secunda sanitas materia inquam, ad quam, vel cuius gratia, vel quæ.

Tertia auxilium, materia scilicet à qua, vel ex qua, vel per quam, vel cum qua.

Efficiens est. Primò Natura. Secundò Medicus. Tertiò instrumenta prædicta.

Postulabis cur non addis fortunam?

Primò enim videmus interdum aliquos, nec à Natura, nec ab Arte sanatos, sed à fortuna vt nonnullos habentes vomicam, per concussionem magnam fortuna liberatos, & alios hydropicos, qui ex vulnere in abdomine illato conualuerunt.

Secundò Galenus 11. Meth. 1. inquit. *At uerò cum sanitatis causæ sint omnia, quæ sanitatem efficiunt, una certè earum est, quod auxilium remediumuè uocatur: quod pro uarijs notionibus, & ultima & prima sanitatis causa rectè dicitur, quippe tempore ultima erit, proptereà quod tempore.*

Natura & ars, & fortuna priores eo sanitatis causæ sunt: prima uero est, quatenus id laborantis corpus tangit, alteratq; eius affectum, ac propter alterationem, quam id facit, cum ægra corpora ad sanitatem perducuntur Ars & Artifex sanitatis causæ fiunt: nō quod hæc morbos primum submoueant, sed alia materia ad id commoda intercedente, quod auxilium appellatur.

Respondetur nos de fortuna nō curare, quę enim sorte eueniunt, non

non possunt in artem redigi, & nos rationales artifices sumus. Scripsit autem Plato in Gorgia seu de Rhetorica, *Peritiam Ars, imperitiam fortuna sequitur*.

Et in Menone seu de virtute subiunxit, *quę enim fortuna cotingunt, imperio hominis nequaquam fiunt*.

Forma est sanitas inducta actu.

Finis est sanitas in mente Artificis.

Officia sunt; Primum conseruare. Secundum præseruare. Tertium curare.

Instrumenta cognitionis sunt.
Primum ratio.
Secundum experientia.

Instrumenta operationis sunt.
Primum dięta.
Secundum Pharmacia.
Tertium Chirurgia.

Dices video, quidem in diffinitione Medicinę, vbi comprehendatur materia, forma, Efficiens finis officia instrumenta operationis; sed nulla adest particula indicans instrumenta cognitionis; nempè rationem & experientiam.

Soluitur, cum dicitur, quòd Medicina est ars: sub voce hac, Ars, includitur, tàm ratio, quàm experientia: Omnes enim artes, ratione & experientia incedunt.

EXERCITATIO AD OFFICIA MEDICA.

Prohœmium ad Exercitationem. *Cap. XII.*

QVONIAM Cicero 1. de Officijs habuit hæc verba. *Sed vt nec Medici, nec Imperatores, nec Oratores, quamuis artis præcepta perceperint, quicquam magna laude dignum sine vsu, & exercitatione consequi poßunt. Sic officij conseruandi præcepta traduntur, illa quidem vt faciamus ipsi, sed rei magnitudo, vsum quoque exercitationemq́, desiderat.* Ideò ego, non sum contentus his, quæ de officijs Medicis, iam à me sunt proposita: sed etiam duxi necessarium esse, in quibusdam casibus particularibus Auditores exercere.

Primum & secundum Exemplum principaliter sunt intenta. Tertium subiunxi vt Indicationum materia appareat, postremum Artificiali Coniecturæ deseruiet, nouissimè de ratione optima curandi tractatur, vt id appareat quod in primo collegio sum policitus.

Nec vitio mihi vertatur, si paulo longius in Exemplis istis me extendam, & quàm ratio consultandi expostulet, quoniam sine multis verbis magnæ res, explicari non possunt.

EXEMPLVM PRIMVM CONSVLTI,

De conseruatione, & præseruatione. *Cap. XIII.*

IN casu Nobilis Viri, quæritur. An salubris, vel insalubris, vel neuter, vt sciamus, an conseruandus sit, an præseruandus, an curandus.

Pro cuius rei intellectione, Notandum est, quòd in hoc corpore tria genera rerum reperiuntur, Naturalia, Præternaturalia, Nonnaturalia; quodque secundum genus, id est, præternaturalia diuiduntur, in præternaturalia parum, & præternaturalia multum.

Ex his autem omnibus, Naturalia sunt conseruanda; præternaturalia parum, sunt pręseruanda, pręternaturalia multum sunt curanda. Nonnaturalia sunt regulanda, [illegible]maneant causæ salubres, & non euadant causæ morbificæ.

Quapropter discurramus, per omnia ista rerum genera, vt sciamus, in quo genere, patiens sit reponendus, & quid, circa ipsum, agere debeat Medicus.

Naturalia sunt, spiritus, humores, partes, totum, complexiones, facultates, actiones, ætates.

Præternaturalia parum sunt Neutra, causæ dispositiones, symptomata & signa.

Præternaturalia multum sunt Ægra, causæ morbi, symptomata, & signa.

Nonnaturalia sunt Aer ambiens, Cibus potus, Vacuatio repletio, (sub his comprehendendo coitum) motus quies, somnus vigilia, animi passiones.

Quæ

Quæ quidem, in caſu noſtro ita ſe habent. Quo ad Naturalia.

Spiritus non ſunt ita boni, elaborati, puri, clari conſiſtẽtes, quemadmodum deberent eſſe; ſunt ergo potius pſeudopneumata quàm ſpiritus; prætereà non ſunt in ea quantitate debita, qua deberent.

Humores quoad ſubſtantiam non ſunt mutati, habent enim ſubſtantiam, ſanguis ſanguinis, pituita pituitæ &c.

Similiter non ſunt mutati humores, quoad qualitates eorum, quoniam ſanguis eſt calidus humidus, bilis calida ſicca &c.

Quoad qualitatem tamen ſunt mutati; nam bilis eſt facta calidior quam par ſit; ſanguis magis tenuis quàm decet, Melancholia magis aduſta quàm conueniat.

Quoad proportionem quoq; ſunt immutati, & ſunt Cacochimi; quoniam amiſerunt proportionẽ ſuam ἀρχαῖαν, & antiquam, quam ab ortu habuerunt, non quidem ſecundum pondus; ſed ſecundum iuſtitiam.

Nam exempli cauſa ante ſanguis erat antiqua proportione, vt 20. pituita, vt 8. bilis, vt 4. atrabilis vt 3.

Sed nunc ſanguis eſt in minori proportione, quàm 20. pituita in maiori proportione, quàm 8. bilis, quàm 4. atrabilis, quàm tria.

Quoad quantitatem etiam humores ſunt mutati, ſiquidem cauſant plenitudinem in corpore, non quidem vniuerſalem, & ſecundum pondus, ac vires: ſed particularem & ſecundum vaſa. In capite enim & ventriculo redundat pituita: in hepate, & partibus circunſtantibus omne genus humorum.

Partes. Iſtæ non ſunt immutatæ, Niſi dicamus eſſe imminutam partem deputatam receptioni excrementorum; id eſt, venas hæmorrhoidales, quæ inciſæ fuerunt per tranſuerſum, & eſt ac ſi non ſint in corpore: inciſæ autem fuerunt; non quia ducerent ſanguinem & debilitarent; ſed quoniam erant tumidæ, vt ouum, & egrediendo, ac ingrediendo anum, erant impedimento.

Totum eſt mutatum ex mutatione partium: prętereà quoad complexionem, vt in temperatura dicetur.

Complexio immutata eſt. Nam vniuerſalis naturalis temperatura totius corporis quæ ab ortu erat calida humida; vt patet ex venarum latitudine, & ex glabricie vniuerſi corporis mutata

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

est ad frigidam & siccam. Complexiones, Particulares, Capitis est calida calore præter naturali ab obstructionibus. Frigida calore naturali, & per commercium materiæ.
Sicca substantialiter, humidior excrementis. Ventriculi est frigida humida.
Cordis est frigida & sicca. Hepatis est calida calore præternaturali ab obstructionibus, nam primò communicatur maxima caliditas thoraci, capiti, naso, ori. Secundò calor retentus in sanguinolentis visceribus non descendit ad extrema, & ita extrema sunt semper frigidissima, frigida calore naturali, humida per commercium materiæ.
Sicca substantialiter: vnde communicatur maxima siccitas thoraci, capiti, naso, ori. Cum qualitate occulta gallica: timuit enim aliquando de casu pilorum, & adstringentia capiti admouit, vnde eo tempore secutus dolor capitis intolerabilis.

Facultates sunt immutatę, quoniã debiliores quàm prius existunt.

Actiones istæ sunt diminutæ.

Capitis, vt patet de actionibus naturalibus in catarrho descendente ad os. In auditu auris sinistræ qui valdè est imminutus, & hęc auris tumet etiam exterius. In visione oculi dextri, qui parum cernit, & aliquando deprauatè vt muscas & culices qui sunt varij coloris pro materia quę repræsentatur. Et ambo oculi continuam grauedinem patiuntur. In lingua quæ est impedita in loquendo: & in qua dubium est de ranunculo βατράχῳ. In vigilijs multis noctu. In cernendis spectris melancholicis nocturnis. In imaginatione deprauata; est enim melancholicus. Augentur autem ista, quia nasus, aut nihil, aut parum ducit, qui nasus sentitur calidissimus, & siccissimus, & quæ caliditas ac siccitas, sentitur etiam in orę.

Cordis; non enim suo calore influẽte actuat, nec ad Entelechiam deducit, vt deberet calorem natiuum aliarum partium: & præsertim, vt dixi, extremarum: patitur dolorem continuum, angustias, palpitationes, flatus, & rugitus in tota ea regione melãcholia maxima renetur cum męstitia & timore.

Naturalium partium. Vnde non benè attrahunt retinẽt coquunt, expellunt, stomachi grauedinem patitur, est videtur sibi quod detrahatur. Nephriticis doloribus & calculo & subiectus.

Extremorum; vnde semper sunt frigida, & arthritidi est obnoxius.

Cum

Cum enim aliàs podagra & genuagra laborauerit; in mẽse Augusti anni 1587. in genu dextro genuagra superuenit cum tumore, dolore, calore. Phlebotomatus autem consilio Excellentissimi Parolini, eodem die hora 24. à brachio eiusdem lateris, hora secunda, noctis erat quidem omninò liber à tumore, dolore, calore ipsius genu: hora veró 7. noctis, in humero sinistro superuenit Arthritis, posteà in manu sinistra; deinde in vtrisq; pedibus, & tandem in genubus vtrisque.

Aetas: ista non est immutata. Est enim in primo senio cũ agat annum 53. ætatis suæ, licet possimus dicere, quod sit accelerata senectus, secundum rem, si non annis: quia habitus hic, est quodãmodo magis senilis, quàm par sit his annis; cum sit, valde siccus substantialiter, humidus excrementis.

Præter naturalia parùm mutata sunt naturalia prædicta, vt à naturalitate parum lapsa euaserunt.

Causæ neutræ. Cacochimia iam dicta. Plenitudo. Actionum naturalium debilitas. Euacuationes interceptæ, siquidem Nasus solitus purgare nihil emittit: Hæmorrhoides non emittunt superflua, quæ anteà admittebãt: cauteriorum clausorum, vacuationes interceptæ sunt. Articulorum, renumque materierum receptio prohibita est.

Dispositiones neutræ, obstructio in capite, in hepate, & in partibus omnibus naturalibus. Intemperaturę vniuersi corporis: Intemperaturæ particulares capitis; Ventriculi, cordis, hepatis, melancholia: Tumor in aure sinistra.

Quæ dispositiones (ex Galeno lib. de inęquali intemperie cap. 5. in his verbis: *Porrò terminus mutationis est, cuiusq; particulę functionis læsio. Ad quem usq; terminum omnis actionis latitudo uia est in id quod præter naturã est ueluti mixtum cõmuneq́, ac medium quoddã, ex cõtrarijs utrisq; compositum ipso naturali prorsus affectu, & eo qđ iam planè est præter naturam*) non debent dici morbi, nondum enim sunt ita auctæ, vt impediant actiones solitas sanorum; potius ergo sunt dispositiones neutræ, quàm morbi.

Symptomata neutrã, Actionẽs debiles, aut etiã deprauatę iam dictę. Exiẽs mutatũ destillationis, Retẽtę excretiones iã dictę. Affect. corporis, calor, frigiditas, siccitas, humiditas, dolor, rugitus, grauedo. *Præternaturalia multum;* id est ægra, causæ morbi, symptomata non adsunt, cum actiones sanorum adhuc exerceat.

Sunt tamen morbi, qui instant, & quorum est periculum, nam est in continuo lapsu à neutralitate ad morbum nisi prouideatur. In capite de catarrho maximo qui accersat aut dispnoeam, aut Orthopnoeam, aut vlcus pulmonis, aut rupturam venarum, aut phtisim, de epilepsia, de furore, de cœcitate, de surditate.

In corde de deliquio animi, de syncope.

In partibus naturalibus de cachexia, de hydrope, præsertim tympanitide, de Nephritide. In extremis, de podagra, de Arthritide.

Sed quomodo naturalia illa transiuerunt ad præternaturalem statum neutrum, & proximè ad dispositionem ægram?

Respondetur occasione rerum non naturalium, quibus rectè non est vsus.

Quoad *Aerem* enim ambientem, nocturno aeri sœpius se exposuit; transijt sine medio ab aere vaporarij calidissimo, ad aerem frigidissimum.

In *cibo* deliquit substantia, qualitate, quantitate, modo vsus: vinisq; potentioribus est repletus.

De *Euacuatione & repletione* magis est repletus quàm par sit: non vacuatus quando debebat: vsus coitu plurimo & intempestiuo: retenta sunt tot excrementa præter naturam vt diximus.

Quoad *somnum & vigiliam*: noctes plurimas insomnes duxit: somnum meridianum amauit.

In *motu & quiete*, exercitijs immodicis vsus; motus horis indebitis: nunc vitam magis ociosam degit, quàm sibi solitam.

Animi passionibus & molestijs varijs est affectus, quantum enim aulica vita passionibus animi subiaceat, nemo est, qui ignorer.

Quibus causis accesserunt, quod vitam liberam non viuit, sed serenissimi Principis seruitio est addictus. Morbi tot, quos varijs temporibus passus est. Et Medicamenta quamplurima assumpta, non tantum alterantia, sed & purgantia vt aquæ thermales guaiacum, salsa & huiusmodi.

Stantibus modò his respondeo ad quæsita.

Primò quod corpus hoc non est ægrum, cum possit adhuc exercere munia sanorum. Non est sanum perfectè, quia habet tot causas morbificas in se, & tot principia morborum: sed est neutrum conualescentiæ, si spectemus morbos præteritos: decidentiæ si consideremus ægritudines imminentes.

Secundò

Secundò quod debet cõseruari, quo ad Naturalia illa, quæ sunt in naturali statu: debet præseruari quo ad naturalia illa, quę euaserunt neutra; tumnè ipsa vlterius progrediantur, tumnè accersant præternaturalia multum quę proximè instant, scilicet causas, morbos, symptomata.

Vt igitur prædicta exequamur, primum quod occurrit faciendum est, moderari, non naturalia, vt euadant ac restent causæ salulubres, nec transeant amplius in causas morbificas, quod sic fiet.

Aer ambiens, aliqualiter reducatur ad calidum siccetur autẽ multum. Non habitet loca subterranea, nec situ obducta.

Vitet nocturnum, vespertinum, matutinum nebulosum pluuiosum ventosum: & transire subito ad extremas qualitates.

Cibus sit facilis coctionis, & distributionis, paucorum excrementorum & contemperans, regulatus qualitate, quantitate, modo, vsus.

Potus an debet esse aqua, an vinum?

Mercurialis Medicorum nostri æui decus consuluit illi, vt potaret aquam, quàm bibit, ab Augusto anni 1587. vsque nunc, & ab aqua hæc beneficia est consecutus.

Primò articulares morbi, in totum euanuerunt.

Secundò tophi articulorum sunt consumpti.

Tertiò nephritis non amplius eum vexat.

Sed quoad nephritidem dubium est, An hoc sit ex potu aquę, an ex continua gestione lapidis viridis pro renum calculo.

Quantum ad alia aquæ potus, aut nihil, aut parum iuuit.

Primò enim destillatio à capite, videtur maior.

Secundò sentit quod aqua ei causat calorem in capite; pars enim, quæ remanet in hepate prius dulcescit, posteà amarescit vlteriori coctione, conuertiturque in bilem.

Tertiò collecta est ab aqua in corpore tanta copia pituitæ & atrębilis, quanta dignoscitur inesse; pars enim aquæ, quæ non trahitur ab hepate manens in hypochondrijs, vbi non est tantus calor non superata à calore naturali, refrigerat omnes eas partes.

Quartò causat quamplurimos flatus & rugitus, pręsertim circa regionem cordis.

Quintò potest inducere maiorem frigiditatem in partibus naturalibus,

naturalibus,& per consequens cachexiam & hydropem.

Sextò si bibat parum vini in primo potu cibationis (quod aliquãdo facit propter lassitudinem quam sentit) magnum iuuamentum percipit à tali vino.

Ego ad hoc quæsitum determinandum, vterer regula Galeni 14. meth. 13. qui vult cognosci debere, an magis vtendum vno vel altero auxilio, & ita quęnam sit optima ratio curandi, præsuppositis his scopis, vt tutò, citò, iucundè curemus: ad hocq; vt tutò fiat, desiderat vt sanitas consequatur, morbus nõ reuertatur, æger non lædatur. Ex istis autem conditionibus illa quæ dicit tutò, est omnibus alijs præferenda, quem locum exponemus in fine huius tractatus. Quocirca cum magis tutum sit bibere vinum ego vino vterer, tutiusq; est: primò enim vitatur periculum de cachexia, & de hydrope. Secundò articuli & renes non debent ita roborari, aquam bibendo, vt non possint recipere excrementa corporis secundum exigentias: & præsertim articuli: nam de renibus posset esse dubium propter verba Galeni, quæ habentur lib. de renum affectuum dignotione, & curatione, *licet enim aliqui non putent se ægrotare, quia dolorẽ non sentiunt: tamen tempore graue quid fit:* eligerem tamen vinum oligophorum & pauciferum: & semper post cibum vterer reprimentibus vapores ad caput ascendentes: vt coriandris, zuccaro rosato, diacithonitide, persicata, piro, cotoneo, marinata cum saccaro.

Ptissana autem cum pipere, quæ proposita fuit, mihi non placet, licet enim dicatur piper non transcendere primas venas, intelligitur de pipere crassomodo contuso, & ita crudo deuorato: sed si piper coquatur in ptissana, dico, quod in illa exeret suum calorem ex coctura, & quod calefaciet nimis.

Hæc de cibi & potus genere.

An verò plus prandendum an cęnandum?

Respondeo manè parum edat. Vesperi paulò plus, tùm quia ita faciendo sentit se melius coquere, dormire, ac quiescere, tùm quoniã maius est spatium, quod intercedit inter cęnam & prãdium, quàm inter prandium & cęnam, tum ob coctionem, quæ melius celebratur noctu per quietem, & concentrato calore, quàm interdiu vbi mouemur, & calor extrà fertur.

Et si obijcias ratio est in contrarium in catarrho, & auctoritates scriptorum.

Soluitur in Medicina; primò insistendum experientiæ, præsertim tali in ægro. Secundò rationi. Tertiò auctoritati.

Attamen ob affectus capitis non eat cubatum: nisi transactis saltem tribus horis post assumptum cibum.

Euacuetur magis, quàm repleatur. Et potius medicamentis benedictis, quàm fortioribus.

Et habeat medicamentum familiare, quo sępius vtatur. Clysteres autem medicamentosi, per interualla longiora illi conducent. *Coitum* fugiat, qui est vna species euacuationis, tum quia nihil deterius capiti, tùm quoniam in emaciato nimis resoluit spiritus; tum propter eà quod est parua Epilesia de qua est dubium in eo.

De *motu & quiete*, moderatè moueatur, & antè cibum, post motũ autem immediatè non edat: sed permittat agitationem motus sedari, quiescat etiam post cibum, propterea quod coctio quiete fit, quemadmodum distributio per motum.

Quantum ad *somnum & vigiliam:* somnus sit moderatus. Dormiat tamen, nec è lecto surgat, quousque coxerit cœnam: nam vt receptum est apud bonos Auctores, non tutò surgit, qui non recte coxit cœnam.

Cubet capite non ita alto, vt recipiat vapores totius corporis: Aristoteles enim 10. problem. 55. dicit hominem sternutare plus, quàm bruta, quoniam recta basi se eleuat ad superiora: nec etiam ita humili, vt humores possint illuc descendere.

Animi passiones omnes vitandæ, præter letitiam, & gaudium.

Secundum à Medico præstandum est, naturalia conseruare, hoc autem fiet similibus per regulam similia similibus conseruantur, idq; procedit tripliciter.

Primò recta ratione victus proposita.

Secundò reducendo ad pristinum quod recesserit à naturalitate ad præternaturalitatem.

Tertiò cauendo, ne quæ admouentur, pro neutra dispositione auferenda, sua vehemẽtia corrumpant ista natuialia vt Pharmaca purgantia, phlebotomia &c.

Tertium exequendum est, præternaturalia neutra remouere, quæ aufferentur per contraria, iuxta regulam, contraria contrarijs abolentur.

Causæ

Causæ igitur hac ratione extinguantur.

Cacochimia per purgationem. Igitur præparandi humores & aperienda viæ syrupis bisantino, de Cicorea cnm rhabarbaro, oximel: acetoso simplici, de capil: Ven. Medicamenta sint leuia, quia vehementiora calorem naturalem partium naturalium destruunt; syr. ros. sol. de sena. rhabarb. diacatholicon. Purgetur autem sæpius, quoniam aliàs est expertus, nihil magis sibi profuisse, quàm purgatio ex turbit frequentata.

Plenitudo Primò per phlebotomiam. Sed vnde? Non à brachio, quia nimius est raptus materierum ad superiora. Et tanto minus à capite in fronte, vel post aures per sanguisugas, ob causam iam dictam: sed à crure. Non tamen nunc sed aduentante vere. Et si obijcias quod podagra accersetur per venisectium in pede.

Soluitur Primò me minus timere podagram, quàm affectus capitis. Secundò, aio, quod Phlebotomia non est facienda, nisi prius ablata sit pro parte Cacochimia. Non memini de sanguisugis ad podicem, quoniam vel nõ admitteret, vel sunt iam obliteratæ illæ venæ ex sectione.

Secundò per renouationem cauteriorum in cruribus: non autem in brachijs, ob nimiam propensionem humorum ad superiora: & vt suppleamus pro purgatione tùm hæmorrhoidum, tùm renum. Non in occipite, quia pars illa debilissima, vbi sensus & motus.

Et si deberent supra fieri, potius eligerem collum interuertebram, & vertebram quàm caput.

Cur non vteris gargarismatibus, collutionibus, masticatorijs, errhinis pro purgatione plenitudinis capitis?

Respondetur ne agitentur humores, qui sunt in capite, & ob affectum linguæ.

Actionum naturalium debilitas est aufferenda. Per intemperaturarum remotionẽ. Per roborationem caloris naturalis cum mithridato, theriaca: & per appropriata membris: vt per hepatica, splenetica, cephalica. Dando tonum ac robur partibus cum adstringentibus, vt possint cum calore naturali vnito. Resistere mittentibus.

Attrahere familiaria tàm alimenta, quàm medicamenta. Expellere contenta.

Et magis

Et magis concoquere & consumere nocua. Scripsit enim Galenus. 9. Meth. 5.

Quippe solidarum partium animalis Natura roborata, prętenuatos iam humores aggreditur ita, vt qui vtiles sint, atque ad nutriendum habiles, hos quidem ad se trahat, inutiles verò vel per ventrem, vel per cutim eijciat. Et exhibendo medicamentum aliquod alterans generosum.

Quod quidem pro nunc in hyeme sit sassafras. Non autem aqua thermalis, quæ aliàs vno solùm die sumpta, suis vaporibus vertiginem & melancholiam induxit. Nec guaiacum, nec salsa, nec china, propterea quod tempus anni aduersatur euacuationi eorum per cutim. Non placet electuarium de chalibe propositum; licet sit temperatum in actiuis, quoniam in passiuis nimis siccat. Hoc autem vere per Guaiacum, & præsertim cum Aulici sint gallici. Tunc enim examinandum erit, An balneum aquæ dulcis conueniat, pro vniuersi corporis humectatione. An lac pro renutritione. An etiam stillicida capiti, ventriculo pro roboratione.

Quartum exequendum, esset, curare dispositiones morbosas, si adessent: quod fieret per prædicta vehementiora assumpta: sed quia non adsunt prognostico allato, huic negocio finem imponam.

Circa quod dico, licet credendum sit, eum ex toto nunquam sanari debere, in tot affectibus diuersis, & inueteratis, & per essentiam in partibus: tamen sperandum, quòd poterit ad meliorem frugem deduci; quoniã Efficientia, nempe Natura & Medicus possunt illi iuuamentum præstare.

Et quamuis non sint aliqua medicamenta simplicia, quæ possint tot morbis opitulari; nihilominus Medicus, vel cum arte componendi præstabit illi composita auxiliaria, ex multis simplicibus, quæ omnes intentiones prædictás exequentur. Vel applicando per interualla modò vnum, modò alterum simplex, vota præscripta consequetur.

EXEMPLVM SECVNDVM COLLEGII HIPPOCRATICI,

De conseruatione, præseruatione, & curatione. Cap. XIIII.

MEDICVS Rationalis arte Hippocratica dignus, debet Methodo quadam vti, per quam incedendo, possit reddere causas, omnium dicẽdorum, & agendorum: quam Methodum nullus ante me nec habuit, nec cognouit, quamuis ex Hippocrate & Galeno excerpta sit. Ego igitur hanc viã pedibus teram in casu proposito examinando. Vos eritis iudices, rem ipsam aggredior.

Ex sermonibus vltrò citroq; cum egregio Viro habitis, in eam firmam ac stabilem deuenio sententiam, quod transierit à statu naturali, id est, à sanitate ad statum præternaturalem multum; id est, ad ægritudinem per statum præternaturalem parum, id est, mediante constitutione Neutra ob perpetratos errores in sex rebus non naturalibus, id est, in ratione victus.

Nam me diligenter interrogante, & ipso ad omnia respondente, reperio quòd.

Totum nõ est mutatum à sua naturalitate, quoad bonam compositionem. Nam est benè formatum quoad magnitudinem, numerum, situm, figuram. Nec est malè vnitum, quoniam est cõiunctum, quod debet esse coniunctum, & est separatum, quod debet esse separatum.

Quoad Intemperiem autem, Totum habet morbum vniuersalem in intemperie, id est: *febrem putridam tertianam duplicem pendentem à bile & pituita quæ habet Lar in primis venis quę sunt ab hepate ad ventriculum, & est in tempore augmenti vniuersalis.*

Est enim *febris* cum sit calor præternaturalis accensus in corde, qui inde communicatur toti corpori per venas & arterias.

Est *putrida* vt patet. Primò quia habet plures accessiones, cum aliæ febres vnam tantùm accessionem habeant nempe ephemera, hectica, synocha. Secundò quoniam apparent signa putredinis in vrina, quæ signa duplicia sunt.

Vnum quod cognoscitur ab odore, quia vrinæ fœtor sentitur.

Alterum quod deprehenditur visu, vt enim docet Galenus 1. de differentijs febrium 6. *apparet quoddam, quod puri proportione respondet subsidens in vrinis.*

Tertiò propterea quod, videntur inditia putredinis in pulsu cum systole sit maior diastole. Vt enim declarat Galenus 1. de causis pulsuum 4. *ubi refrigerantem substantiam trahit cor artenarum distenditur corpus, & diastole fit: cum fuliginosum expurgat contrabitur & systole fit.*

Quoniam ergo ęgri cor in his febribus putridis plus eget emissione fuliginum, quàm refrigeratione sui; ideò maior est systole quàm diastole.

Est *tertiana* quoniam alternis diebus superuenit accessio maior.

Est *duplex* eo quia singulo die inuadit.

Est *pendens à bile & pituita*, prædominante quidem bile, sed cum aliqua portione pituitæ.

Quæ habet Lar in primis uenis, quę sunt ab hepate ad uentriculum; quid sit Lar docet Galenus 9. Meth. 5. *Est particula quam obstructio, aut phlegmone obsidet.*

Addit autem *putredinem.* 11. Meth. 20. subdit lib. de Marcore. cap. 7. *focum febris uoco eam animalis partem, quæ prima suis solidis partibus immodicè excalfacta sit.*

Est *in tempore augmenti uniuersalis*; quoniam incipiunt apparere vestigia quædam rudimenti coctionis.

Et est *cum symptomatibus* de quibus suis locis agemus.

Hoc modo se habet totum ad eius particulas me conuerto.

Spiritus animales, vitales naturales: à statu naturali recesserunt, propterea quod. Quantitate sunt pauciores, non multi. Qualitate sunt mixti vaporibus non simplices, Sunt non clari, sed aliqualiter obscuri, & aliquo modo ψευδό πνεύματα. Sunt tenuiores non mediocrem crassitudinem habentes. Motu impetum habent ad caput cor, hepar, vbi causant & calorem, & dolorem.

Humores. Substantia non peccant: habent enim substantiam sanguis sanguinis, pituita pituitæ, melancholia melancholiæ &c. Qualitate mutati non sunt; quoniam sanguis est calidus, humidus, pituita frigida humida, melancholia frigida sicca &c. Mutata tamen est bilis; quæ facta est calidior & siccior quàm par sit. Ergo inest cacochimia. Quantitate non peccant, quod faciant plenitudinem secundum pondus ac vires vniuersalem totius corporis: sed peccant quod nõ seruatur antiqua proportio humorum in corpore, quod sanguis. v.g. sit vt 20. pituita, vt 8. bilis, vt 4. atrabilis, vt 3. Et quod sit plenitudo particularis secundum vasa, bilis in hepate, pituitæ in capite & in primis venis. Motu peccant; habent enim impetum ad caput ventriculum cor.

Partes sunt benè compositæ, in magnitudine, numero situ figura, benè vnitæ, nam sunt iunctæ quæ debent esse iunctæ, & separatæ, quæ debent esse separatæ. Sunt tamen malè temperatæ, vt mox dicetur.

Temperatura est mutata. Primò enim adest vniuersalis intemperatura iam dicta totius à corde omnibus partibus communicata, nempe febris. Secundò inest intemperatura singularis partium singularum præsertim principum. Caput enim est calidius, siccius, cor calidius siccius. Ventriculus calidior per accidens, ex commercio materiæ biliosæ, frigidior, vt calor præternaturalis consumit pabulum quod est subiectum eius. calidi tatis innatæ. Hæpar calidius & siccius, quàm sit æquum.

Facultates animales, vitales, naturales, naturaliter habent, quia nõ sunt amissæ; præternaturaliter habent, quoniam sunt debiles, ob intemperaturas particulares, & vniuersalem, ob spiritus paucos ac prauos; ob humores peccantes in eo, quod dictum est.

Actiones sunt læsæ animales, naturales, vitales. Animales vnde capitis dolor, vigiliæ. Vitales vnde dispnoea inquietudo, cordis anxietas, & veluti animi defectus, pulsus quorum maior est systole quàm diastole, dolor in dorso. Naturales: vnde hepatis æstus, sitis, aluus sicca, stomachi dolor, vrinæ rubræ. Quæ actiones læsæ, sunt symptomata hunc morbum concomitantia.

Aetas est iuuenilis, agit enim annum tertium supra vigesimum.

Nec

Nec est mutata ætas, ita vt sit tardata, vel accelerata. An verò debeat totam suam ætatem viuere, & ad vltimum senium peruenire, vel ex hoc affectu debeat mori, dicemus infrà in prognostico.

Quæ fuit causa, vt naturalia transirent ad statum præternaturalem multum, transeundo per statum præternaturalem parum.

Respondetur quoniam non benè se gubernauit in sex rebus non naturalibus.

Quo enim ad *aerem* ambientem vsus est aere calidissimo, nec illum correxit. Nec quæsiuit loca subterranea frigidiora, per solem ardentem equitauit, ventis meridionalibus corpus suum exposuit, vestibus grauibus & calorificis est indutus.

In *cibo & potu*. Vsus est parcitate cibi.

Victitauit ex cibis calidis & siccis, bibitque vina potentiora in magna copia.

In *vacuatione & inanitione*, nimis est exinanitus. Inter cœnam & prandium nimium temporis interposuit.

In *motu & quiete* deliquit. Nimium se mouendo, nimis laborando, coitum nimium exercuit.

In *somno & vigilia* errauit, ducendo totas noctes insomnes, dormiendo in meridie: cubando super latus hepatis.

Inter *animi passiones* maximè est affectus ira & mœroribus.

Quid agendum mihi est, versaturo circa egregium hoc corpus?

Respondet Hippocrates 5. in 6. Epid. 1.

Νούσων φύσιες ἰηρόι ἰατρός δὲ ὑπηρέτης.

Naturæ morborum medicatrices, Medicus verò minister.

Quòd Natura, est illa, quæ debet Medicam manum admouere huic corpori, Medici autem munus est (tanquam Ministro Naturæ) opitulari ipsi Naturæ.

Sed si ego debeo ministrari ipsi Naturæ, quid est ista Natura, vt sciam cui suppetiæ ferendæ?

Respondeo quod Natura nihil aliud est, quàm res Naturales iam dictæ, quæ remanserunt, & sunt in sua naturalitate.

Vnde sunt illa salubria, & est ipsa salubritas, quæ resistunt morbo.

Cum modo quód debet auxiliari alteri, debeat scire quid ipse faciat, vt possit auxiliari ei in illis, in quibus oportet, & ne loco auxilij, det illi negocium, aut impedimentum.

Quomodo

Quomodo hoc ſciam, quid faciat ipſa Natura?

Reſpondet Hippocrates 3. de Officina Medici, tex. 29. φύσις δὲ ἐν μὲν ἔργοις, τοῦ ἔργου τῇ πρήξει, ὁ βούλεται τεκμαρτέον. *Natura in operibus eſt, oportet ex opere coniectari, quid in opere faciendum ſit;* id eſt. Quod Natura iam præſtat id, quod fieri debet, & quod ex opere ſuo oportet me ellicere, quid ego facere debeam coniectando, id eſt, per coniecturam artificialem.

At quid eſt Coniectura Artificialis?

Reſpondet Galenus 2. de R.V. 37. quod eſt Inſtrumentum Medicum procedens, per omnia viſa in libris Medicis, quæ omnia oportet memoria habere, & per experta à Medicis, dum Medicinam faciunt, ducens in cognitionem, non quidem exactam, qualis eſt ſcientia: tamen ſcientiæ proximam actionum naturæ circa corpora humana, in quibus Medicus debet opitulari ipſi Naturæ.

Quæ ſunt omnia viſa in libris Medicis & experta à Medicis, dum Medicinam faciunt, per quæ fit iſta Artificialis Coniectura?

Reſpondetur ſunt illa, quæ iam conſpeximus in corpore hoc egregio reperiri, videlicet.

Naturalia, Præternaturalia parùm,
Præternaturalia multum, Non naturalia.

Sed quomodo ſe habent iſta in hoc corpore?

Reſpondetur nos vidiſſe iſta ſic ſe habere, quod Naturalia facta ſunt præternaturalia multum, id eſt ægra, tranſeundo per ſtatum præternaturalem parum, id eſt, per neutra, ob perpetratos errores in ſex rebus non naturalibus.

Quomodo ſcis, quod hic tranſierit ex naturalibus ad præternaturalia multum?

Reſpondet Galenus libro de inæquali intemperie cap. 5. quod illi ſunt præternaturaliter multum affecti, & ſunt ægri, in quibus actiones iam ſunt læſæ. Sed in iſto iam actiones ſunt læſæ. Ergo eſt præternaturaliter multum affectus.

Quid facit intelligere, quod in corpore ſint ſolùm prçternaturalia multum, & non præternaturalia maximè?

Reſpondetur quoniam adeſt ſolum prçternaturalitas actionis, nō autem adeſt præternaturalitas vitæ, vt in prognoſtico dicetur.

Quomodo cognoſcis quod pertranſierit per præternaturalia parum?

Reſpon-

Respondetur Primò, quia certum est, quod ab extremo ad extremum non fit transitus sine medio. Secundò quoniam ipse sensit prius lassitudines spontaneas. Tertiò propterea quod prius præparati sunt humores ad hunc morbum, & facta cacochimia & plenitudo.

Quomodo ex istis naturalibus, præternaturalibus parum, præternaturalibus multum, & non naturalibus per Artificialem Coniecturam colligit Medicus, quę sint opera Naturæ, in quibus operibus, debet auxiliari ipsi Naturæ?

Respondetur hoc modo. Cùm enim in hoc egregio corpore reperiantur omnia prædicta, & cum Naturalia sint conseruanda, præternaturalia parum sint præseruanda, præternaturalia multum sint curanda non naturalia sint regulanda. Cumque Natura sit agens perfectissimum, quod non errat in suis operationibus (& si erret (dicunt Philosophi) error potiùs attribuendus est potentiæ passiuæ, quam actiuæ.) Ergo colliget Medicus Naturam, hoc corpus, conseruare, præseruare, curare, regulare: Itaque dicet; Mihi hoc onus incumbit, & meæ partes sunt auxiliari Naturæ, in conseruando, præseruando, curando, regulando.

Sed cur debeo auxiliari Naturæ, in conseruando, præseruando, curando?

Respondeo quod, quia est quidē dixit Hippocrates 5. in 6. Epid. 5. *Natura morborum medicatrices, Medicus verò Minister.*

Propter quid autem nunc à me declaratur.

Scribit Hippocrates, lib. de Alimento, & 5. in 6. Epid. 2. *φυσις ισειν αδηδακτα. Natura est indocilis;* hoc est nescit causas rerum, non cognoscit impedimenta, non nouit media.

Subdit Galenus 11. Meth. 1. *ἡ φυσις δρᾷ αὐτὴ δι᾽ ἑαυτῆς. Natura per se agit. ἡ φύσις ἔχει συμφύτους κινησεις. Natura habet motus innatos. ἡ φύσις οὐδια μέσων τῶν ὅλων ἔχειτὸ δρᾶν;* id est: *Natura non habet media.*

Addo ego si Naturā secundum Hippocratē est indocta, nescit causas rerū, non cognoscit impedimēta, non habet media, si Natura ſm Galenum agit per se, habet motus innatos, nō agit p media. Et si ego iunctus Naturæ possum facere quod agat cum ratione, quod noscat impedimenta, quod habeat media, quod operetur mecum, quod rectè vtatur motibus innatis.

Ergo

Ergo debeo iungi ipsi Naturæ, & auxiliari ipsi Naturæ. Sic enim ero causa, quòd citò faciat, benè faciat, sequatur sanitas non mors; eo modo quo etiam Agricola iungitur Naturæ terræ, quæ est indocta, & habet motus innatos, & facit illam producere fructum, quod per se non gigneret & facit supra pomum produci pirum, quod per se non generaret.

Sed quomodo coniungar ego cum Natura?

Respondetur sumendo casum ægri per regulas artis, eum examinando, videndo per regulas artis, quid debeat fieri in tali negocio, & faciendo, quod Natura procedat per suos motus innatos in eo tractando, secundum regulas & præcepta ipsius artis, quod si Natura aliter incedat, quàm dictet Ars, cogenda est, vt vt non egrediatur regulas artis.

Hoc enim est, quod dixit Hippocrates. *Naturę morborum medicatrices, Medicus verò Minister.*

Natura in operibus est, oportet ex opere coniectari, quid in opere faciendum sit. Nec solùm seipsum præstare oportet opportuna facientem, sed & ægrum, & assidentes, & exteriora. Medicus debet imitari Naturam rectè operantem.

Sed quid ait Galenus debere fieri in hoc casu?

Respondet 8. Meth. 9. cum adsit.

Febris. Putredo. Habeat causam manentem.

Et symptomata quæ sunt quatuor;

Quod in febre putrida indicationes curandi, principales sunt quatuor. Prima quatenus febris. Secunda quatenus putrida. Tertia quatenus putredo habet causam adhuc manentem. Quarta quatenus symptomata coniuncta habet.

Quatenus febris quæ passio calida & sicca existit.

Ergo refrigerandum, & humectandũ, sic enim scribitur 8. Meth. 9. *Porrò febris omnis præter naturam calida & sicca est: ideoq; victus rationem humidam frigidamq; exigit*, & 9. Meth. 14. *Eorum ergo, quæ in simplices incidunt partes, vnum est, intemperies ea, quæ in calido consistit. Hæc cum in totum diffusa corpus est, febris nominatur: ideoq; omnis febris, quæ febris est, humectatio; refrigeratioq; remedia sunt.*

Quatenus putrida (ait Galenus 11. Meth. 8.) *Intentiones eædem sunt in homine viuente, quæ sunt in alia re non viuente, vt in pomo putrido secundum aliquam ipsius partem.*

Tanquam igitur, in ijs corporibus, quæ non viuunt, ac putrescunt primum quod eorum iam putruit, separant; deinde ei quod reliquum est, in frigidum aerem sublato perspirationem refrigerantem, moliuntur.

Ita *vtique & putredinem, quæ in venis est orta sanabimus, id scilicet, quod iam corruptum est omni ratione vacuantes: quod reliquum est, moderatis motibus, & refrigerante perspiratu ad exactam symetriam reducentes.*

Ac *vacuationem quidem illius per vrinam, deiectiones, vomitum, ac sudores molientes: post hanc dimotiones mediocres, vnà cum ambientis bona temperie, adhibemus, quæ est curatio substantiæ iam putridę materiæ, non omninò tamen putridæ.*

His *autem factis, & plantæ, & homo, durabunt imputrescibilia, quia plantæ, & homo, habent motus congenitos, quibus superflua excernunt.*

Quatenus putredo habet causam adhuc manentem. Intentio est, tollere hanc causam adhuc manentem putredinis, quæ cum sit prohibita transpiratio. Ergo prohibita transpiratio est remouenda.

Ratio autem huius rei est, cur scilicet oporteat etiam vltra putredinem, remouere causam, inquit Galenus. 11. Meth. cap. 2.

Diariarum quidem enim febrium, quemadmodum & hecticarum, vera & propria curatio est, earum verò quæ ex putrescentibus excitantur humoribus vocata curatio, prophilacticem quoque sibi adiunxit. Cuius officium est, causam, quæ morbum creat, adimere.

Ratio, inquam est, cur ephęmera & hectica solùm curentur, putrida autē curetur, præserueturque, quoniam (vt habetur 8. Meth. vltimo) ephemeræ, & hecticæ, à nulla fiunt causa (manente scilicet) quemadmodum à causa manente fiunt putridæ.

Cæterum videamus ex Galeno 11. Meth. 8. quomodo prohibita transpiratio sit remouenda: inquit Galenus.

Nunc ad secundum in diuisione transeamus (primum fuerat, *ergo ordiamur*) *nempe, quemadmodum quis causæ quæ putredinem excitauit, adhuc manentis remedium facilimè inueniat.*

Est *autem neque in hoc difficultas vlla: quippe cum per contraria tollatur. Itaque quoniam transpirationis prohibitio, putredinis occasio fuit hanc (arbitror) submouere oportet.*

At *ea cum varijs generibus est orta, & densatis exiguis meatibus, & constrictis corporibus, & humoribus, tum abundantia, tum crassitu-*

dine, tum lentitia sua, obstruentibus. Singulæ harum affectionum curandæ per contraria sunt, Densitas per ea quæ rarefaciunt, constrictio per ea quæ fundunt, Abundantia per ea quæ vacuant, Crassitudo per ea quæ dissecant. Et lentor ijs, quæ detergunt.

At siquidem totum corpus dictorum iam singula occupauerint, & toti corpori per contraria est succurrendum, si in vnam partem quampiam, putredo inuaserit illi adhibenda iam dicta sunt remedia. Sanè non easdem partes omnes, vacuationes, medicamenta vè requirunt, cum & temperamentis, & posituris, & formis, & omni denique constitutione, naturaq; inter se diffideant.

Quatenus habet symptomata coniuncta, sic illis prouidendum, ea tollendo, & mulcendo.

Ars ergo statuit in hoc casu.

- Refrigerandum.
- Humectandum.
- Vacuandum.
- Purgandum.
- Deobstruendum.
- Rarefaciendum.
- Fundendum.
- Dissecandum.
- Detergendum.

Circa quæ tria Notanda sunt. Primum quorum est, quod ego addidi, licet non sint apposita à Galeno, Cacochimiam in caussis manentibus, & Purgandum in intentionibus Curatiuis, quoniam Cacochimia & purgatio, sub plenitudine, & sub vacuatione subintelliguntur.

Cacochimia enim est vna species plenitudinis: purgatio est vna species vacuationis. Secundum, quod licet Galenus loco citato 8. Meth. 9. nullam mentionem faciat de cura habenda ad symptomata: tamen cum in Arte curandi, ad Glauconem ponat, facienda pro symptomatibus, ergo vult vnam intentionem curatiuam in febribus, respicere symptomata. Tertium, quod Galenus est diminutus in hoc casu, si stemus in nostris suppositis: ponit enim solùm quomodo curandum, quod est vnum in quo debemus opem ferre Naturæ: Sed non aperit, quomodo præseruandum, & quomodo conseruandum; in quibus debemus etiam opitulari naturæ: in qua tamen re non est damnan-

damnandus, quoniam præsupponit, quæ dicta sunt in libris de sanitate tuenda.

Nobis ergo hoc opus incumbit, vt patefaciamus illa, quæ dimisit Galenus, nempe intentiones præseruatiuas & conseruatiuas.

Quæ ergo sunt intentiones præseruatiuæ?

Respondetur Prima tollere causas morbificas, quæ fouent istum morbum, qui præsens est, proptereà vidimus, Galenum dicere, quod oportet tollere causam manentem putredinis.

Secunda tollere causas morbificas, quæ possunt facere nouum morbum; possent enim eædem obstructiones humorum crassities & lentores, quemadmodum nunc producunt febrem putridam, ita posthac creare febrem hecticam, cachexiam, hydropem &c.

At quomodo istæ præseruatiuæ intentiones exequuntur.

Respondetur per contraria, minora tamen, quàm sint contraria curatiua.

Hæc siquidem est sententia Galeni, libro de curandi ratione per sanguinis missionem cap. 9. addendo testimonium Hippocratis. 3. in 6. Epid. 40. *Anteuertit enim Hippocratis doctrina, qua nos docet, quæcunque morbis præsentibus rectè peraguntur, aut incipientibus, aut imminentibus præuertenda esse.*

Dices Primò si non adest amplius neutralitas, cum æger transierit in morbum. Ergo non egemus præseruatione.

Soluitur falsum esse, quod non adsit neutralitas respectu morborum nouorum qui imminent, febris enim quæ nunc est putrida, potest fieri hectica: prætereà ipsamet potest fieri maior.

Secundò non credo, quod in Curatione requiratur præseruatio nisi tu id probes.

Soluitur immò requiri in Curatione, præseruationem vt patet, tùm per locum iam adductum. 8. Meth. 9. vbi ponuntur intentiones Curatiuæ febris putridæ, cum asserat Galenus, quod oportet tollere causam manentem putredinis; tùm per alterum locum Galeni 11. Meth. 10. vbi aliter ponit, quàm supra intentiones Curatiuas nempe sic.

Febris putrida est curanda, & præseruanda simul.

Duæ ergo insurgunt indicationes.

Prima à febre [vt facta febris curetur. Curatio.
[vt fienda prohibeatur. Præseruatio.
Secunda à putredine [vt facta putredo sanetur. Curatio.
[vt fienda sistatur. Præseruatio.

Quod modo in generatione est, tùm febris, tùm putredinis. Fit à prohibita transpiratione, in qua prohibita transpiratione duę sunt.

Indicationes [Prima vt quod retentum est euacuetur. Curatio.
[Secunda vt quod retinendum est prohibeatur. Pręseruatio.

Quæ prohibitio retinendi, fit ijs præsidijs, quæ obstructioni medentur.

Obstructionis autem rursus.
quod iam factum est sanandum. Curatio.
quod futurum est fieri inhibendum. Pręseruatio.

Primum fit per ea, quæ obstructa liberant.

Secundum continget, si affluxum obstruentium succorum compescamus.

Tertiò tu ais, quomodo præseruandum in morbo.

Cæterùm, ego vellem etiam scire, quomodo præseruandum erat antequam superueniret ægritudo.

Respondet Celsus lib.6. cap.7. *Ergo vbi primum dolorem aliquis sensit abstinere & continere se debet*, & lib.6.cap.18. *Is homo continere se debet, & abstinere à cibo, & potione aquæ tantum, à siti vindicari.*

Hippocrates 2. Aphoris.48. Ἐν πάσῃ κινήσει τοῦ σώματος, ὁκόταν, ἄρχηται πονέειν, τὸ διαπαύειν εὐθὺς, ἄκοπον; id est, *in omni mutatione corporis, vbi laborare cœperit, quies statim lassitudinem auffert.*

Per κίνησιν τοῦ σώματος intelligo id, quod dicitur lib. de aere, aquis locis, μεταβολήν transmutationem. Huius loci sensus est.

Cùm materiæ, quæ in corpore sunt, moueri incipiunt, vel alterari, vel putrescere: ita vt ἄρχηται πονέειν; id est, homo incipiat ægrotare, in principio illo principiante, vbi sentiuntur præludia morbi: τὸ διαπαύειν εὐθὺς, statim quiescere non agitare corpus, nec cibis, nec exercitio, nec medicamentis, nec coitu, & etiam animi motus cohibere, vt colligitur ex Galeno lib. de

consuetu-

consuetudine cap.4.

Ε᾽υθυς, non expectando, quod factus sit morbus.

Α῎πειτον, morbum prohibet futurum & lenit.

Expositio sumpta ex Celso lib.3. cap.2. vbi dat signa futuræ ægritudinis, & modum præueniendi, qui stat, in hoc Aphorismo sic intellecto. Ait autem; Igitur si quid ex his quæ posita sunt incidit, omnium optima sunt, quies & abstinentia, si quid bibendum aqua, idque interdum vno die fieri satis est, interdum si terrentia manent biduo, proximeque sumendus est cibus exiguus, bibenda aqua, postera die etiam vinum, deinde inuicem alternis diebus modò aqua, modò vinum, donec omnis causæ metus finiatur. Per hæc enim sępe instans grauis morbus discutitur.

Plurimique falluntur dum se primo die protinus sublaturos longiorem, aut exercitatione, aut balneo, aut coacta deiectione, aut vomitu, aut sudationibus, aut vino sperant. Non quo non interdum id incidat, aut non decipiat, sed quo sępius fallat, solaque abstinentia sine vllo periculo medeatur, Cum præsertim etiam pro modo terroris moderari liceat, & si leuiora indicia fuerint, satis sit à vino tantum abstinere: quod subtractum plus quàm si cibo aliquid dematur, adiuuat: Si paulò grauiora facile sit, non aquam tantùm bibere; sed etiam cibo carnem subtrahere. Interdum panis quoque minus, quàm pro consuetudine assumere, humidoque cibo esse contentum, & olere potissimum, satisq; sit, tum ex toto à cibo, à vino, ab omni motu corporis abstinere, cum vehementes notæ terruerunt.

Neque dubium est, quin vix quisquam, qui non id dissimulauit, sed per hæc maturè morbo occurrit, ægrotet.

Non sit autem mirum, quod proponit Celsus modò de breuiori, modò de longiori quiete; siquidem hoc arridet Galeno 3. in 6. Epid. 2. *Quare cum statim deinceps subiunxerit, quiete: apertè intelligi non potest, quid hac voce signare Hippocrates voluerit; sed vt in cæteris obscuris dictionibus, ita in hac suspicari oportet, quid sibi velit, vt hoc vni, illud alij probabilius videatur, prout etiam visum est, & alius aliter nomen quietis exposuit. Potest igitur de cessationibus, quæ exercitationibus interponuntur, dicta quies esse, vt in Aphorismis dixit. Vbi laborare cæperit, quies statim lassitudinem admittit. Potest etiam intelligi de cessationibus per integros interiectos dies futuris*

turis potest etiam perfectam quietem aliquibus corporibus consulere: etiam si ipse ait motus roborat, ocium consumit. Poterit sanè vita in ocio traducta, corpus extenuare: ita enim quibusdam, qui se ab exercitationibus ad ocium traduxerunt, euenisse conspeximus.

Vide etiam pro Aphorismo prædicto, sententiam Nolani in suis problematibus.

Ex dictis patet, quomodo præseruandum Vniuersaliter à morbo.

Quomodo autem præseruandum à febribus biliosis, & ita ab hoc morbo particulari?

Respondit Galenus. 6. Aphoris. 47. *Quidam alius tempore æstiuo semper febribus tertianis corripiebatur: sed multis iam annis non febricitauit, quoniam à nobis purgari pallida bilis, circa finem veris anticipauit. Sic enim melius est tales euacuare.*

Sicuti illos, qui morbo comitiali, apoplexia, & melancholia, & articulari, & alijs passionibus, quæ ex crassis humoribus generãtur, præstat, circa veris initia euacuare.

Explicatis Intentionibus Curatiuis, & præseruatiuis; reliquum est de conseruatiuis loqui, quæ triplici modo ad actum deducuntur.

Primò rectam rationem victus instituendo.

Secundò cauendo, ne quæ admouentur pro morbosa affectione aufferenda, vt phlebotomiæ, medicamenta alterantia, medicamenta purgantia &c. aut corrumpant sua vehementia naturalia, aut uires tollant.

Tertiò dando tonum & robur partibus, cum adstringentibus, ut cum calore naturali unito, posint resistere mittentibus attrahere familiaria alimenta, & medicamenta, expellere contenta nocentia, & magis concoquere & consumere nocua.

Itaque ex huc vsque dictis, patet, quæ sint Intentiones Medici in hoc casu non solùm curatiuę, sed etiam pręseruatiuę, & conseruatiuæ.

Descendamus iam ad pronosticum in casu proposito, declarando an intentiones prædictæ exequi posint, circa quod speculandum.

Primò an sanabitur nec ne.

Secundò quo, qualiter quando.

Tertiò sub qualiter examinandum, qualis peior futura febris.

Quartò

Quartò sub quando perscrutandum, quæ bilis faciat breuiorem morbum.

Quintò sub quādo, an aliquid presagiri posſit de anticipatione aut postpositione.

Quantum igitur ad Primum, an sanabitur nec nè, quamuis multa periculum ostendant.

Primò quod tot sint symptomata cum ea.

Secundò quod à tot causis pendeat febris.

Tertiò quod sit contrarietas in indicationibus. 11. Meth. 10.

Quartò, quòd morbus sit acutus, vt probat Altimarus.

Tamen tenendum quod sanabitur quoniam.

Primò est morbus cognitus.

Secundò sunt intellecta impedimenta.

Tertiò æger benè habet ad oblata & mente constat, scribitur enim 2. Aphoris. 33. *In quouis morbo mente constare, & benè se habere ad illa quæ offeruntur bonum, contrarium verò malum.*

Quartò malignitas non adest.

Quintò vires sunt valentes.

Sextò æger bonam salubritatem habet.

Septimò habet tantùm præternaturalitatem actionis, non autem vitæ.

Octauò adsunt remedia appropriata.

Nonò 4. Aphoris. 43. *febres quocunque modò intermiserint, periculum omnem abesse significatur, & quanto maiori tempore intermittunt, tantò salubriores.*

Decimò, alij sanati sunt, qui hoc tempore eodem morbo laborarunt.

Vndecimò, febris eadem hora semper non superuenit.

Scripsit enim Hippocrates 4. Aphoris. 30. *Quibuscunque accessiones fiunt: quacunque hora febris dimiserit, si eadem cras occupauerit, iudicium habent difficile.*

Rationem reddit Galenus, quia habent causam stabilem & firmam.

Quoad Secundum, scilicet, quo, qualiter, quando sanabitur.

Respondetur quo.

Per aluum egestione.

Per stomachum vomitu.

Per cutem ſudore.

Per narem dextram ſanguine bilioſo propulſato.

Per menſtrua bilioſa, adderem ſi eſſemus in fœmina.

Per hęmorrhoides verò dico, quæ ſunt communes vtrique ſexui.

Non per abſceſſum.

Sic enim de hac materia locutus eſt Galenus.2. præſagiorum 34. *Hoc viciſſimè ab Hippocrate dictum eſt: morbi enim qui difficilimè concoquuntur, vtpotè qui à craßioribus, frigidioribuſque humoribus ortum ducentes per abſceſſum plerunque iudicantur, quos verò calidus tenuisq; humor excitauit per euacationem*, quod repetit eodem libro,com.65.

Qualiter.

obſtructione remota.

bile in vaporibus diſſipata.

Temperata qualitate bilis, ſcilicet caliditate & ſiccitate. Minus periclitando, quàm alij,quibus morbus eorum naturæ non cōgruit. Scribitur enim 2.Aphoriſ.34. *In morbis minus periclitantur,quorum Natura,aut ętati,aut habitui,aut tempori,magis congruit morbus, quàm quibus in nullo horum congruit.*

Quando.

A natura ſola in ſeptem acceſſionibus ad ſummum.4.Aphoriſ.59. *Tertiana exquiſita,ſeptenis ad ſummum circuitibus iudicatur.* A Medico cum Natura,in quatuor aut quinq; paroxiſmis.

Citius ſanabitur, cum vires ſint fortes; quàm ſi vires eſſent debiles; quoniam Natura quæ eſt agens,eſt fortior.

Prius tolletur febris,quæ facit maiorem acceſſionem cuius materia tenuior eſt,quam febris quæ facit minorem.

Quoad Tertium ſub qualiter addo.

Primò tertiana peior futura ſimplex: non enim poteſt miſceri niſi benigniori humori.

Secundò tertiana peior futura à bile naturali, quàm à ſanguine mutato in bilem.

Tertiò febres bilioſæ peſſimæ in ſtatu, quia fit ingens flamma; pituitoſæ habent augmentum peius, eò quia antequam accendatur phlegma fit magna pugna,quoniam materia eſt frigida,humida,at cum accenſa eſt,benigna eſt,ideò non multum lædit.

Atrabilares ſunt malæ & in ſtatu, & in augmento, tamen peiores

stes in statu, quando materia terrena est accensa: malignæ in principio pessimę sunt, quia tanto magis tunc est contracta materia ad cor.

Quoad Quartum, addo sub Quando.

Primò bilis simplex breuiorem facit morbum, mixta magis longum.

Cum enim breuitas morbi sequatur à tenuitate humoris eum facientis non datur tenuior humor, quàm bilis, quę cholerę adiungi possit.

Secundò in sanata à Natura status erit in sexto paroxismo: in curata à Medico status erit in tertio, aut quarto paroxismo.

Quoad Quintum, circa Quando, adiungo nonnulla, de anticipatione, aut postpositione futura. Siquidem.

Primò tertianæ solent anticipare & præsertim, cum aliqua exeretio facta fuerit, aut spontina, aut Artificialis.

Primò enim cum natura, facta fuerit fortis supra residuum, agitat succos & expellit ad musculos, vnde fiunt initia præuenientia.

Secundò cum bilis sit valdè tenuis, & apta ad motum, quantò sincerior, tantò magis apta moueri ablato impedimento humoris crassioris vacuati, qui retardabat eam.

Secundò sicut ex tertianis, aliquæ ita anticipando procedunt, vt occupent secundum diem, & quotidianæ videantur; ita aliæ procedunt, postponendo vt occupent quartum diem, & ita quartanæ appareant.

Veniamus modò ad Intentiones propositas exequendas, & circa vnamquamque examinemus.

1 An agendum; 2 Quid agendum. 3 Qua materia agendum. 4 Qua qualitate materiæ agendum. 5 Qua mensura agendum. 6 Quomodo agendum, scilicet an paulatim, an confertim, an vna vice, an pluribus, an solis, an cum alijs, quæ contraria vitando. 7 Qua occasione seu tempore. 8 Quo loco agendum. 9 Quo ordine agendum.

I Primum

Primum quod debet exequi est istud. REFRIGERANDVM. circa quod quæritur. An agendum.

Respondetur vniuersaliter patere, quod sit agendum. Primò enim certum est Naturam nostra egere ope, vt citò, benè, & afferendo sanitatem, non mortem, operetur. Secundò quoniam quando Cura, non est desperata à Medico est agendum; hic cura non est desperata. Ergo à Medico est agendum. Tertiò propterea quod, quando morbus non est minimus agendum est, hic morbus non est minimus. Ergo hic agendum est. Quartò ex eo quod vbi non fit Crisis ibi est agendum; hic non fit Crisis. Ergo hic agendum est.

Respondetur particulariter etiam, quod agendum istud, scilicet refrigerandum.

Primò enim quod dictat forma febris est præstandum, forma febris indicat, quod debet refrigerari. Ergo in hac febre refrigerandum.

Secundò vbi non adest magnum contraindicans refrigerationi ibi refrigerandum, in hac febre non est magnum contraindicans refrigerationi, quia pituita est pauca. Ergo in hac febre refrigerandum.

Tertiò vbi materia morbi coindicat refrigerandum, ibi refrigerandum, in hac febre materia morbi coindicat refrigerandum. Ergo in hac febre refrigerandum.

Circa Refrigerationem. Secundò quæritur quid agendum.

Respondetur cum visum sit particulariter, an agendum, scilicet refrigerandum, est etiam particulariter declaratum, quid agendum, quod scilicet est refrigerandum.

Sequitur vt inueniamus, qua materia refrigerandum.

Respondetur aere ambiente, qui debet esse frigidus, fiet aquam in cubiculo aspergendo, & sternendo in pauimento folia, persicorum, canarum salicum, vitium, rosarum, nenupharis, violarum; Circa thorum acetum cum aqua spargatur, stet æger in cubiculo versus septentrionem, habitet loca subterranea.

Quiete & motu. Magis quiescat quàm moueatur, & præsertim in die afflictionis.

Animi passiones omnes vitet, & præsertim Iram, læto stet animo, non coeundo.

Dormiat non in lecto ex penna, sed vel ex lana, vel ex serico, & si

ſit pauper apponendo culcitram, ſupra lectum, vel corium pelliceę muliebris, ne calfaciat cor ſtando ſiniſtro latere, hepar manendo dextro, dorſum, renes, venam magnam ſtando ſupinè, hepar, cor reſupinè iacendo.

Refrigerandum quoque cibis, potu, ſyrupis.

Refrigerandum præterea rarefaciendo, fundendo, diſſecando, detergendo, ſi enim tollatur obſtructio, tollitur etiam calor, Vacuando & purgando, tollendo enim humores calidos, refrigeramus, Medicamento generoſo vt aquæ frigidę potu.

Qua qualitate materiæ refrigerandum.

Reſpondet Galenus. 11. Meth. 2. *Dicimus aliquando, ſanare nos febrem per ea quæ actu, aliquando & per ea quæ poteſtate, aliquando & per ea quæ ex accidenti refrigerant.* Concludo eſſe refrigerandum, per ea quæ actu, per ea quæ poteſtate, per ea quę per ſe, & per ea quæ ex accidenti.

Qua menſura refrigerandum?

Reſpondetur notando. Primò Galenum ponere quatuor gradus omnium Medicamentorum etiam calefacientium 5. ſimpl. vlt.

Primus qui nos excalfacit non tamen euidenter: verum vt opus ſit inſuper aliqua demonſtratione rationali.

Secundus qui manifeſtè excalfacit.

Tertius qui iam vehemẽter quidem, non tamen ſummè calfacit.

Quartus qui adeò excalfacere poteſt, vt eſcharā moliatur, & vrat.

Secundò bilem eſſe calidam in tertio gradu: vehementer enim excalfacit, non tamen ſummè.

Tertiò quod deberemus vti frigidis in tertio gradu; reſpiciendo terminum quò tendimus, vt refrigeremus quod eſt in tertio calidum.

Quartò quod non vtimur in tertio gradu frigidis, tùm quia nolumus reducere bilem ad tertium gradum frigiditatis, ſed ſolum ad primum caliditatis, tum quoniam, non vna tantùm re, ſed pluribus refrigeramus, tùm quia vtendo tam frigidis, nolumus extinguere calorem naturalem.

Quintò quod vtimur frigidis in ſecundo gradu.

An plus refrigerandum, in febre biliofa, an in pituitoſa?

Reſpondetur plus in bilioſa quatenus morbus eſt calidus, & materia morbi eſt calida, plus in pituitoſa quatenus maior cõcurrit cauſa ad accendendam pituitoſam febrem, quàm bilioſam.

Quomodo agendum refrigerando, an paulatim, an confertim? an vna vice an pluribus?

Respondetur paulatim & non confertim, non vna vice, sed pluribus, ratio est. Primò quia vis Naturę non est facienda. Secundò quoniam cum frigiditas sit qualitas valdè actiua refrigeraret, non tantùm humores peccantes, sed etiam non peccantes. Tertiò propterea quod cum morbus habeat accessiones in singulis accessionibus refrigerandum.

Quo tempore refrigerandum?

Respondetur omni tempore morbi, sed magis in summis vigoribus particularibus.

Quo loco refrigerandum?

Respondetur Primò vbi lar febris, scilicet in hepate. Secundò vbi maximè viget febris, videlicet in corde. Tertiò in toto corpore: cum totum corpus calore vexetur. Quartò circa renes vbi perreptat vena magna.

Quo ordine refrigerandum?

Respondetur prius per aerem ambientem, quàm per cibos, quoniam prius egemus refrigeratione, quam cibis, prius per cibos, quàm per medicamenta, quoniam magis egemus cibis quàm medicamentis, prius refrigerãdum, quam humectandum cum febris primariò sit calida, secundario sicca. Ergo quoad hoc prius refrigerandum, secundariò siccandum, quantum autem ad id, quod quæ calida sunt, necessariò habent complicatam, vel humiditatem, vel siccitatem, sic simul est refrigerandum, & humectandum: prius refrigerãdum, quàm alia omnia peragenda; illa enim est prima contrarietas, quæ indicatur à forma morbi.

Iam patet quomodo refrigerandum.

Reliquum esset, vt & alias intentiones exequendas prosequeremur, & adderemus etiam quæ pro symptomatibus sunt facienda, sed quoniam hoc esset nimis longum, & potest haberi, ex tractatibus Autorum de febribus; ideò hic secundo exemplo finem impono.

EXEM-

EXEMPLVM TERTIVM DELIBERATIONIS,

Pro Indicationibus. *Cap. XV.*

MEÆ partes sunt, Viri Excellentissimi, ad id statim descendere propter quod huc sum vocatus, nempe ad curam Nobilis Viri, præsupponendo tamen omnia quæ & doctissimè, & luculentissimè ab Excellentijs vestris dicta sunt, de Ægri ætate, ac temperatura, de morbis, de causis, de symptomatibus, ac de signis.

Hoc autem vt fiat dico, quod Curatio nihil aliud est nisi remotio morbi per Methodum curatiuam, quæ Indicationibus procedit.

Cum autem, teste Galeno, Indicatio sit comprehensio iuuantis; id est, auxilij simul cum comprehensione nocentis adueniens, id est, quæ aduenit post cognitionem causarum morbificarum sine obseruatione & ratiocinio.

Ideó ego debeo duci in cognitionem auxiliorum à causis morbificis, id est, à morbo & à suis causis, distinguendo semper quæ sint.

Indicantia, id est, quæ primò indicant.

Coindicantia, id est, quæ secundò indicant.

Contraindicantia, id est, quæ primò repugnent.

Correpugnantia, id est, quæ secundò repugnent.

A morbo simpliciter sumitur Indicatio curandi, qui cum sit febris, quæ est intemperies calida, sicca. Ergo remouenda est, per sua contraria, scilicet frigida & humida.

Morbus itaque est indicans, scopus indicatus à morbo est refrigerandum & humectandum.

A morbo etiam simpliciter sumitur indicatio curandi, qui est obstructio, id est, morbus in via, quod de obstruendum.

A morbi tempore vnde ſcripſit Hippocrates. *In principio, ſi quid videtur mouendum moue. In principio & fine omnia debiliora.*

A cauſa morbifica ſumitur indicatio, nempe à cauſa materiali morbi, quæ cum peccet.

Quantitate eſt enim in corpore cauſans plenitudinem. Ergo vacuandum.

Qualitate cacochima. Ergo purgandum.

Putrida. Ergo quod putridum purgandum.
quod poteſt putrere prohibēdum.

Craſſa. Ergo attenuandum.

Viſcida. Ergo incidendum.

Adhærens. Ergo abſtergendum.

Tenuis ſcilicet bilioſa. Ergo incraſſandum.

Maligna. Ergo reſiſtendum malignitati.

Sic itaque cauſa morbifica indicat.

Sed aliquando etiam cōtraindicat, puta morbus indicauit refrigerandum humectandum: at materia morbi pituitoſa contraindicabit ſua qualitate, ne ita refrigeremus & humectemus.
Melancholia etiam ne ita refrigeremus, quemadmodum è contra, coindicat cum morbo, quod refrigerandum & humectandum, bilis: quod humectandum, atrabilis.

A temperatura ſumitur Indicatio.

Qualitatis remedij, loquendo de ſana. Cum enim temperatura ſit res naturalis ſeruari debet. Ergo ſimilibus vtendum.

Quantitatis remedij, loquendo de ægra.
Cùm enim ad præternaturam ſit mutata, eouſque ſolùm alterandum, quouſque peccat.
Eſt tamen potius Coindicatio, quàm Indicatio: nám morbus, & cauſa primò indicant, ſecundò autem coindicat temperatura.

A viribus quoque ſumitur indicatio.
Si enim fortes. Ergo vacuandum. Ergo purgandum. Sunt ergo potius coindicantes, quàm indicantes. Si autem debiles ſunt contraindicantes, prohibent enim facere id, quod indicans indicauit.

Ab anni tempore,
Si enim non ſint maximi calores, vel maxima frigora, indicant vacuandum, purgandum, ſeu potius coindicant. Primò enim id indicarunt morbus, & cauſa morbifica.

Si ſint

Si sint maximi calores, maxima frigora vel non vacuandum, & non purgandum, vel minus vacuandum, minus purgandum. Sunt ergo correpugnantia, quia contraindicant secundò euacuationi & purgationi, quibus primò repugnarunt, vires.

A parte affecta, quæ duplex est, vel illa, quæ generat, aut non consumit materias nempe Epar, Ventriculus, Lien, vel illa quæ est Lar febris; Illa quæ generat materias, cum id faciat per sui intemperiem indicat ergo intemperies tollenda: illa in qua est Lar febris, cum recipiat illas præ imbecillitate indicat, ergo roborandum, ergo purgandum.

Per quam autem viam vacuanda?

Respondetur per illam cum qua communionem habet.

Epatis gibba per vrinam, menstrua, sudorem, caua per intestina.

A consuetudine sumitur indicatio de similibus, cum enim consuetudo sit ferè altera Natura, ideo seruanda. Est autem potius coindicatio, quàm indicatio: coindicat enim id, quod primò à temperatura indicatur.

Ab aere ambiente sumitur indicatio agendi, si enim sit contrarius qualitatibus morbi, debet talis conseruari, si sit similis dispositioni morbi, debet ad contrarias qualitates permutari.

Iam habemus indicationes, coindicationes, contraindicationes, correpugnationes; Indicata refrigerandum, humectandum, deobstruendum, vacuandum, purgandum, prohibendum, ne putrescat quod putrescere potest, attenuandum, incidendum, abstergendum, incrassandum, malignati resistendum, intemperies tollendæ Epatis calida sicca, ventriculi, frigida, humida, Lienis frigida humida.

Roborandum.

Videndum ergo quomodo scopi isti indicati exequi debeant.

Refrigerandum indicat morbus febris, quæ est intemperatura calida, coindicat materia morbi, quæ est bilis, pars generans materiam morbi, quæ est Epar, contraindicant materię morbi, quę sunt pituita, atrabilis, correpugnant partes generantes materiam quæ sunt Ventriculus, Lien. Ergo refrigerandum moderatè præsertim cum frigidum sit qualitas multum actiua, sit Naturæ contrarium. reefrigerabimus victus ratione, id est, cibo & potu aquæ, syrupis, vitando medicamenta calida.

Humectandum indicat morbus febris, quæ est intemperatura sicca, coindicat materia morbi, quæ est bilis, pars generans materiam morbi quæ est Epar, contraindicat materia morbi quę est pituita, correpugnat pars generans materiam quę est ventriculus, splen intentio resistendi putredini. Ergo humectandum moderatè, humectabimus victus ratione, id est, cibo & potu aquæ, syrupis, vitando medicamenta sicca.

Deobstruendum indicat morbus in via, cum autem non sit stipatio, quæ fit à frigore, sed sit obstructio facta à plenitudine vacuandum, à crassitie attenuandum, à lentore incidendum, ab adherentia abstergendum.

Ex his autem in principio eligenda frigidiora ne calfaciamus, debiliora, quoniam vehementiora ferendo secum humores magis obstruerent.

Vacuandum indicat causa morbi materialis cũ plenitudine, morbi magnitudo, continua enim est febris, coindicant vires fortes, ætas consistens, tempus anni, temperatura, cõsuetudo cum sępius æger vacuari soleat, quod oportet prohibere putrediné per euentationem, cõtraindicat malignitas morbi, forsan enim peticulæ superuenient.

Respondeo cum iam non appareant, stante plenitudine vacuandum.

Euacuandum ergo Phlebotomia, in brachio à vena communi, nisi quid aliud vrgeat, à vena Epatis cum vis magis euentare, in pede prope menses vel in defectu mensium, sanguisugis in paucioribus indicantibus, ventosis in adhuc paucioribus.

Phlebotomando, quantum sanguinis ducendum?

Respondeo secundum magnitudinem indicãtium, & coindicantium, præsertim si non habeas contradicantia, & correpugnantia.

Purgandum indicat Cacochimia, materia iam putrida, quæ purgari debet. Primò quia putridum, tangens non putridum, id facit putrescere. Secundò quoniam non potest amplius ad benignum conuerti, materia fluens ad focum febris, coindicant vires, anni tempus temperatura, consuetudo, contraindicat principium morbi, in quo nec cocta est materia, nec præparatæ viæ per quas purgandum.

Dices

Dices Primò Hippocrates, ait *in principio si quid videtur mouendum, moue*.

Respondetur eum loqui de materia turgida, quæ cum non sit firma potest purgari, nos autem non sumus in materia turgida.

Secundò Medici in principio nonnè dant pruna præparata, electuarium lenitiuum, cassiam?

Respondetur ista esse lenitiua medicaměta Eccoptotica stercoraria, non purgantia.

Tertiò estnè aliquis Casus, vbi non opus etiam sit dare ista lenientia.

Respondetur, quod sic puta, quando crederemus in tunicis ventriculi esse materiam adhærentem quæ possit quidem agitari à tali medicamento, non verò duci. Tunc enim ex agitatione cresceret febris.

Prohibendum ne putrescat, quod putrescere potest, indicat quod oportet non solum curare, id est, tollere præsentem affectionem, seu putredinem, sed etiam necesse est, futuram fieri putredinem prohibere.

Sed quomodo hoc fiet?

Respondetur Primò tollendo plenitudinem, quemadmodum dictum est vacuandum.

Secundò attenuando, incidendo, abstergendo.

Quæ autem sunt attenuantia, & incidentia?

Respondetur attenuantia & incidentia, vel id faciunt secando humores in partes, ita vt facilius possint coqui & expelli, vt acria & amara, quæ cùm sint leptomeri tenuium partium, diuidunt humores in partes, vel liquando & fundendo humores eos attenuant, quemadmodum etiam facit sol, & appellantur Leptintica, quod aliqua faciunt calore forti, alia sua temperata qualitate in caliditate, & frigiditate, vel miscendo suam substantiam tenuium partium cum crassa substantia succi, ita vt fiat quædam mediocritas in succo hoc modo mixto, quæ diluentia nuncupàntur.

Quæ sunt abstergentia?

Respondetur abstergentia sunt illa, quæ posita inter materiam inhærentem membro, & inter membrum detrahunt materiam lentam à membro, & huiusmodi sunt amara.

Quæ ergo attenuantia & incidentia, sumi debent in nostro Casu?

K Respon-

Reſpondetur in principio acria & amara non conueniunt. Nec quæ liquant & fundunt calore forti, quia nimis calida. Benè cõueniũt, quæ liquant & fundunt ſua temperata qualitate, in caliditate & frigiditate: Et diluentia.

Iſta tamen erunt bona, procedente tempore, quando caliditas temperata aliqualiter fuerit, & humores calidi erunt conſumpti, & remanſerint tantùm frigidi.

Quæ abſtergentia opem ferent.

Reſpondetur amara, non tamen in principio multùm amara, ne nimis calefaciamus.

Incraſſandum indicat materia nimis tenuis bilioſa, quæ ob eius leuitatem nimis mouetur per corpus, poſſet ire ad partem prin pem eſſe cauſa mortis, petendo caput inducit deliria, coqui non poteſt (impropriè tamen) cum ſtet in continuo motu. Quæ incraſſatio dicitur à Galeno æquatio: oportet enim humores tenues, æquare ſubſtantiæ temperati humoris. Hoc aut nihil, aut leuiter faciendum eſt, & tantùm in principio morbi. Nam cum plures ſint humores craſſi, qui in magna copia præualent quantitati bilis, Ideò ſi nimis incraſſates, redderes magis craſſos eos, qui ſunt attenuandi. Incraſſatio fieret per rationem victus vt lentibus, aqua Coriandrorum, calybeata.

Malignitati reſiſtendum indicat, quod eſt res præter Naturam, quod eſt contraria viribus quas deijcit. Quæ cum in noſtrò Caſu pendeat, à magna obſtructione, tolletur per ablationem ipſius obſtructionis, eo modo quo eſt dictum, cum etiam pendeat ab humorum ſumma putredine, ſeu aduſtione, auferetur per euacuationem humorum putridorum, ſeu aduſtorum. Ergo tam per ſe, quàm per accidens remouebitur per ſe quidem tollendo eius cauſas, obſtructionem, putredinem & aduſtionem, per accidens verò roborando calorem naturalem, vt illi poſſit reſiſtere.

Intemperies tollendæ Epatis calida ſicca. Ventriculi frigida humida. Lienis frigida humida: indicat quod ſunt præter Naturam hæ intemperies, quod ſunt cauſa febris: nam Epar, ventriculus generat materias, Lien non purgat.

In his indicationibus eſt contrarietas, ventriculus enim & Lien ſunt frigidi humidi. Epar & febris ſunt calida ſicca.

In principio magis refrigerandum, & humectandum tunc enim

magis præualent humores calidi. In fine magis calfaciendum, & ſiccandum, tunc enim conſumptis calidis humoribus, remanſerunt frigidi.

Nunquam membra principalia debent nimis refrigerari & humectari, cum frigiditas ſemper deijciat robur membri, nunquam calida omittenda, nunquam actu frigida applicari debent, ſemper addendum aliquid quod robur det.

Cum quibus intemperies iſtæ tollendæ?

Reſpondetur ratione victus, medicamentis alterantibus, medicamentis purgantibus materias à quibus pendent.

Roborandum indicatur ab intemperiebus.

Quæ deijciunt robur.

Vt reſiſtamus membris mittentibus.

Vt concoquamus humores fluxos.

Vt expellamus humores coctos.

Vt non generemus nouam materiam.

Cum quibus roborandum?

Reſpondetur cum reſpicientibus membra vt Cordialia, Epatica. Lienica, cum adſtringentibus, quę dant tonum parti vt tria prędicta vltima perficiant.

EXEMPLVM QVARTVM CONSVLTATIONIS,

Pro Artificiali Coniectura. Cap. XVI.

QVI aliquam symptomatum siluam, in quopiam repertam habet propositam, is debet.
Primò morbum, aut morbos in genere inuenire, quibus talis homo laborat.
Secundò morborum species particulares.
Tertiò locum, seu locos patientes. Nam per hæc tria omnium ipsorum Causas & inuenire, & reddere poterit.
Duo igitur sunt morbi, quibus laborat Illustris Dominus.
Vnus intemperatura frigida, cum materia, in collo vesicæ, & vltima parte intestini recti.
Alter soluta vnitas, iam facta in fistula vrinaria, ac collo vesicæ, & quæ de nouo fit ex transitu per ea loca pituitæ salsæ mixtę cum vrina.
Sed vnde mouemur, ad credendum, his duobus morbis laborare in talibus locis? & à tali materia?
Respondetur per Artificialem Coniecturam à certis indicijs.
Et Primò quoad primum locum patientem, & morbum: Cum in infima parte ventris, dolor grauatiuus, & continuum velut pondus sentiatur, necesse est ibi esse morbum. Nam cum dolor sit pathos, cuius esse, est in fieri, & à causa pendet, oportet vbi est talis effectus, ibi etiam sit causa, quare cum morbus sit causa symptomatis rectè dicebat Hippocrates. Quod *vbi est dolor, ibi est morbus*.
At cum multæ partes sint in imo ventre, ex solo situ, non poterimus, in loci affecti cognitionem venire, nisi & alia Phęnomena consideremus, quid ergo videmus?
Respondetur ista.

Primò

Primò ipſum non poſſe tandiu retinere vrinam, quantum prius. Nam tres aut quatnor vncias vrinæ, ad plus pro vice excernit; quod ſi maior quantitas in veſica colligatur, aggrauari ſe ſentit.

Ex quo apparet, quòd facultas retentrix vrinæ eſt læſa: atque ita ab actione læſa, veſicam laborare patet.

Secundò exeuntia per veſicam ſunt mutata quantitate, quia minus ſingula vice mingit quàm ſoleret vt diximus.

Qualitate quoniam mordicant in exitu: ſubſtantia propterea, quod pituita cum vrina exit: Vnde ab exeunte mutato veſicam eſſe affectam cognoſcimus.

Et Secundò quo ad ſecundum locum.

Primò videmus non poſſe tamdiu retinere fęces ac flatus, vt ſolebat. Ex quo apparet retentricem facultatem recti inteſtini læſam.

Secundò idem indicant, exeuntia mutata, ſiquidem quantitate pauciora ſunt. Figura nam olera ſunt minora & elongata.

Ex his noſcimus, veſicam, & inteſtinum rectum malè affici.

Verùm vnde permouemur ad credendum, collum veſicę tantum, & vltimam partem inteſtini recti tantùm laborare?

Reſpondetur ex his indicijs.

Quoad collum veſicæ, ex ſitu doloris, ac ponderis, qui ſentitur in peritoneo ex artificiali quoque coniectura. Nam difficile eſt, materiam frigidam recipi in ſubantia veſicæ, quæ denſa eſt: vt nec facilè etiam in pleura recipitur.

Credibilius eſt, in collo eſſe receptam.

Quod cùm conſtet ex glandula, muſculi pinguedine, parte ligamentali, & ſubſtantia veſicæ craſſiori & carnoſiori, in his omnibus partibus, poterit eſſe diffuſa atque imbibita materia craſſa, frigida.

Non tanta tamen eſt, vt faciat apoſtema, quia tunc tumor ſubſtantiæ veſicæ, & glandulæ obturaret meatum: vnde vrina, aut non prodiret, aut ſubtiliſſimè egrederetur: nunc autem cōfertim prodit. Tumor quoque muſculi, eſſet in cauſa, vt vrina inuoluntariè egrederetur. Adde quod ad tactum tumores hi ſentirentur.

Quoad extremam partem recti inteſtini, apparet ipſam affici ex figura fęcum elongantur enim, & ex ſanguine ab hæmorrhoi-

dibus

dibus emanante, quæ ibi sunt.
Cùm verò vesicæ collum,& vltima pars intestini recti,omni morborum genere, possint affici: quomodo deprehenditur quo morbo laborent? & quod habeant intemperiem cum Materia?
Respondetur non est soluta vnitas prorsus, in ipsis, quia tamdiu non vixisset. Nec aliquantulum vt euenit in vlceribus; eo quod nec pus, nec crustulas minxit,aut eiecit per aluum. Sanguis autem, quem interdum excernit,ab hæmorhoidibus prodijt, aperto ore,non exulcere,frequentius enim exiuisset.
Nec laborat mala compositione; propterea quòd nec situs sit mutatus,nec numerus,nec figura,nec magnitudo, quod sensu percipi possit.
Relinquitur ergo intemperie has partes affligi.
Vnde modò indicatur intemperaturam hanc, cum materia esse?
Soluitur ex eo,quod diu duret affectus,factis etiam præsidijs.
Ex quo colligis,quòd materia frigida crassa?
Respondetur hoc pronunciare Naturam illarum partium quę frigidæ sunt.
Quod iuuentur à calidis lædantur frigore.
Temporis longitudo. Non febrire; Et sentire pondus atque grauitatem in loco.
Occasio autem, seu causa procatartica, cur ad hæc loca fluxerint, hæ materiæ fuit equitatio: ob quam, velut contusa fuerunt hęc loca; equitationem autem præcesserunt, labor & coitus: quæ duo partes has imbecillas reddiderunt.
Causæ antecedentes fuerunt copia crudorum succorum in corpore collectorum, ex mala victus ratione in sex rebus non naturalibus.
Quòd verò in fistula vrinaria,& collo vesicæ sit solutio vnitatis,indicat dolor repentinus, qui in istis locis fit, potissimum post mictum (nam quas ipse vocat puncturas acuum, lancinationes, & pruritum; sunt species doloris vlcerosi.) Non potest autem esse intemperatura causa huius doloris, propterea quòd non tam citò fit, nec tam citò abit intemperies;licet autem,interdum post mictum sentiat calorem in loco, hoc est,quia vrina interdum magis excoquitur in venis, ac in renibus, & in transitu, vestigium caliditatis relinquit.
Dices

Dices cum multis modis differẽtibus secundum magis & minus, vnitas solui possit, qualis est ista solutio?

Respondetur credibile est, cum nec sanguis, nec pus, nec ramentum aliquod hinc exierit, abrasam quodammodo fuisse hanc pellem, & attenuatam; vt fit, cum quis lixiuio forti, & sapone fricatur: attenuatur enim pellis, dolet ad tactum: ex quo aliqui crediderunt summam cuticulam esse, velut collectionem excrementorum, & ideo abstergentibus tolli posse. Verisimile quoq; est, visciditatem illam esse abrasam, qua sublinitur fistula vrinaria, vt cęterę membranæ.

Dolor autem in perineo, indicat collum vesicæ, esse abrasum. Et dolor in extremo pudendi demonstrat, fistulam vrinariam, pari modo esse affectam.

Petes à qua materia sit facta ista abrasio.

Dico manifestum esse, à pituita salsa, abrasionem hanç pendere. Nam cùm per hunc locum, non transierit semen acre (quia non est Illustris Vir passus gonorrhoeam) nec pus e vesica, aut à renibus. Nec arenulæ quarum vestigia nunquam vidit. Nec adsit caro adnata, quoniam vrina, tanquam per crassam fistulam prodit. Et licet interdum bifidum exeat lotium: hoc est, propter portionem seminis hic firmatam.

Ergo aut ab vrina, aut à contentis in ea, abrasio ipsa est facta.

Sed non ab vrina, quia rubra non apparet, immò decolor est, quod indicat eius substantiam non esse admodum exustam.

Adde quod non esset maior dolor in fine quàm in principio, cum sit sibi similis vrina. Et prætereà guttatim mingeret, quia vna sola gutta, stimularet vesicam, vnde non colligerentur duę, nec tres vnciæ lotij in ea.

Relinquitur ergo, vt causa huius abrasionis sit id quod cum vrina exit, talis àutem pituita est, cuius magnam copiam in vrina videmus. Signũ modo quod ista pituita sit causa doloris est, quia quanto maior copia ipsius adest in vrina, tantò plus dolet æger.

Cœterùm, cum pituita non nisi salsedine possit dolorem hunc inferre; ex effectu hoc possumus concludere, ipsam esse salsam. Rationabile prętereà est, pituita salsa scatere ęgrum; nã cum sit calidioris tẽperaturæ iecoris & renũ; iam verò ex inclinãte ętate, pituitę copiã gignat; aduritur in hepate, & renibus, vnde tùm

ex adustione

ex aduſtiône, tùm ex miſcella ſalſorum Ichorum, ſalſa redditur. (Non enim credo ex putredine ſalſam fieri, quia febris neceſſariò ſemper adeſſet.)

Ex varia autem pituitæ Natura, quæ ſalſa admodum eſt, & ex Natura vrinæ, quæ reſpectu pituitæ dictæ ſalſæ, inſipida eſt, (hoc dico, quia omnis vrina; & ſudor omnis, etiam in homine temperatiſſimo, eſt ſalſa aliquomodo, vnde ex omni vrina fit ſal copioſum) & acris (nam Natura acres, & ſalſas qualitates in cibis repertas, quas non poteſt conuertere in ſuum vſum; tranſmittit cum ſeroſitate extra corpus: bonus enim ſanguis hæret parietibus venarum, in medio autem fluitāt Ichores iſti cum ſanguine impuro, qui expurgatur à renibus.

Inditio acrium per vrinam expulſorum, eſt odor vrinæ, qui fert nares & oculos mordet, magis autem poſt eſum alliorum & cœparum.

Quod verò ſalſa qualitas expellatur per vrinam, ſignum eſt, ſapor vrinæ illius qui ſalſa eſitauit: nam ad guſtum erit magis ſalſa, quàm ſi inſipidis eſſet vſus.

Ex varia, inquam pituitæ Natura, & vrinæ poterimus reddere rationem, aliquorum problematum apparētium circa morbum, qui fit. Nam præter ſolutam vnitatem iam factam (vt diximus) alia eſt, quæ quotidiè fit, & eſt eadem quæ augetur, augmentatur autem ab exeunte mutato ſubſtantia & qualitate. Huiuſmodi autem eſt pituita ſalſa, quæ in tranſitu auget morbum, & gignit ſymptoma nempe dolorem: & hoc nil mirum, quia ſæpe ſymptoma, hæc duo poteſt præſtare.

Sed quæ ſunt iſta problemata?

Reſpondetur Primum cur magis doleat in fine vrinæ.

Secundum, cur ſi inter mingendum conſtringat penem, & retineat vrinam, non ſentit dolorem.

Tertium cur ex eſu ſalſorum, & acrium manifeſtè lędatur.

Quartò cur ex eſu viſcoſorum, & craſſorum vt caſei, piſcium, leguminum apertè offendatur.

Quoad Primum cur magis doleat in fine vrinæ.

Reſpondetur quod pituita ſalſa mixta eſt ad minima in venis, & ita à renibus attrahitur: vbi etiam non ſeparatur propter calorē renum. In veſica autem (propter eius frigiditatem) aliquid ſeparatur, & deſcendit in fundum. At in veſicis frigidis ſeparatur

ratur

paratur omninò,& fit lapis:quemadmodum videmus, per aquā calidam fluitare partes terrestres, quæ separantur ipsa refrigerata.

Et hinc apparet, quod Medici debent quidem iubere,quod vrina seruetur apud ignem, ne corrumpatur: sed cum ipsi volunt eam videre,debet esse frigida,vt possit separatum esse,quod debet ab ea separari.

Et ideò crassamentum hoc in fine exit, & causat maiorem dolorem.

Hinc etiam fit, quòd si quis mingat in duobus cyathis, quod secundò mingitur habet plus crassamenti, quàm quòd primò exit.

Istud modo,quod vltimo loco egreditur,vocāt filamentum,quod in abundantibus pituita salsa, est ipsamet pituita salsa, quæ adhęrens canali,malè affecto,& non temperata ab vrina,dolorem infert maximum.

Ex dictis fortè, causa etiam haberi potest.

Cur si mingat cubando,minus doleat post mictum, quia scilicet vesica non rectè expurgatur ab isto crassamento, si quis cubando mingat. Nam situs non est decliuis; & ideò noxium est cubando mingere,& est causa generationis lapidis.

Notandum tamen, quod per crassamentum in vrina, non intelligimus omnia filamenta, quæ apparent in vrina: nam aliqua sunt semen in vrina innatans: at crassamentum, potius vrinæ admixtum est,& ipsam turbidam reddit: proptereà quòd à longinquo cum vrina miscetur.

At vrina de proximo subluendo canalem, secum rapit semen; & ideò est separatum, & innatat, non autem est mixtum vrinæ.

Quoad Secundum, Cur si inter mingendum constringat penem, & retineat vrinam non sentiat dolorem.

Respondetur, quod & tunica vesicæ colli, & tunica canalis vrinarij, iuxta glandem sunt abrasæ modo dicto.

Certum etiam est, quod pars iuxta glandem habet exactiorem sensum, vt apparet in emissione seminis, quod non titillat collum vesicæ, licet iuxta ipsum transeat, vt facit caput virgæ ob eius sensibilitatem.

Quibus stantibus dico, quod pituita salsa admixta vrinæ, potest

afficere caput virgę, ob eius ſenſibilitatem, & non afficere collum veſicæ, æqualiter, aut plus etiam affectum, quia minus ſenſibile: & ob id collum veſicæ à pituita ſola impermixta, caput virgæ à pituita & ab vrina temperata affici poterit. Et ideò ſi prohibeat conſtringendo canalem, ne ad caput virgæ vrina feratur, non ſentit dolorem in collo veſicæ, licet vrina ipſum tangat, ob cauſam enarratam.

Quoad Tertium, cur eſu ſalſorum, & acrium manifeſtè lædatur.

Reſpondetur quòd ex dictis apparet ſolutio: nam cum per vrinam ſalſa omnia & acria purgentur, certum eſt, quod qui ſumit maiorem copiam horum, is vrinam acriorem habebit: & ideo duplex erit cauſa læſionis: Vna à pituitá ſalſa. Altera ab vrinæ ſubſtantia, quæ non contemperabit ſalſedinem ſuccorum: quare victus contemperans conueniet.

Quoad Quartum, cur ex eſu viſcoſorum, & craſſorum, vt caſei, piſcium leguminum apertè offendatur.

Reſpondetur quod cum ſucci ex aduſtione ſalſi reddantur: certum eſt, quòd quanto diutius in hepate, venis, & renibus continebuntur, tantò magis adurentur, & ſalſeſcent.

Sed craſſa & viſcoſa edulia, diutius in corpore retinent hæc. Ergo magis aſſabuntur & ſalſeſcent. Ideò in tranſitu magis lædent. Vnde quantum humiditas qua pollent poterat prodeſſe, tantum obeſt craſſities & lentor.

Animaduertendum autem quod ſoluta hæc vnitas, potiſſimum in canali vrinario.

Non ſolùm augetur à pituita ſalſa, à toto per veſicam huc tranſmiſſa.

Sed etiam ab Ichoribus quibuſdã per venas & arterias (quę multæ hic ſunt) ad hunc locum tranſmiſſis.

Et hinc eſt, quod ſępe, & ſi non mingat, dolorem ſentit in capite virgæ: & non ſentit in collo veſicæ, ad quem locum hi Ichores non perueniunt. Vnde & hi Ichores ſuo calore, poſſunt leuem inflammationem inducere eo in loco; & tunc per tres aut per quatuor dies continuos peius habet, donec illa inflammatio fuerit ſedata.

Poſſunt & cauſæ extrinſecæ augere morbum.

Vt compreſſio loci, afflictio in coitu, calefactio ex motu, a quibus

bus omnibus se lædi sentit.

Iam habemus morbos in genere quibus afficitur species morborum particulares: & locos affectos, à quibus, vt prius diximus, causæ omnium symptomatum pendent.

Et primò quoad primum morbum, qui est intemperatura frigida cum materia, in collo vesicæ, & in extrema parte intestini recti, hic vnus & idem est morbus, in genere, & in specie, sed in diuersis locis. Quare quod ad morbum pertinet erunt eadem symptomata. Ideo cum vterque locus laboret intemperatura, in vtroque actio erit læsa.

Cum verò actio lædatur, vel quia non fit, vel quia malè fit, vel quia diminutè fit. Hic actio vtriusque partis fit diminutè.

Nam vesica non potest tantùm & tandiu retinere vrinam, vt solebat. Nec intestinum rectum fęces, & flatum. Immò cum frigore corripiuntur, id est, cum frigus patitur æger circa has partes, vel circa pedes, ita imbecillitantur hæ partes vt grauentur à pauca etiam admodum contenta in ipsis humiditate; ideo cogitur sæpius tunc & mingere & excernere. Hæc autem est causa allata à Galeno 6. de loc: affectis 3. in principio.

Quoniam autem intemperatura frigida est, nihil mirum si à frigore lædatur, propterea quod est augens morbum.

Iuuetur autem à calido, siquidem per hoc ad suam Naturam redeunt partes.

Sed cum intemperatura frigida, sit necessario cum materia frigida, & ita crassa & lenta, ideo nihil mirum, si vtroque loco grauitatem sentit & pondus, dolorem obtusum, diuturnus sit affectus, ad suppurationem non veniat, febrem non inducat.

Ab vtroque autem loco seorsum, sua pendent propria symptomata. Et causa est, quoniam, cum ex symptomatibus ratione loci. Aliqua pendeant à propria substantia partis.

Alia à magnitudine. Nonnulla à numero particularum illius partis.

Nonnulla à figura. Quædam à situ.

Quædam à colligantia. Aliqua ab vsu.

Aliqua à modo vsus.

Hæc autem varia sint in qualibet parte, ideò nihil mirum, si varia quoque sequantur symptomata ad diuersas partes.

Quod si aliqua sunt ex his, in quibus duæ partes conueniant, tunc eadem erunt symptomata, ratione vtriusq; loci.

Sicut in nostro Casu, in quo conueniunt collum vesicæ, & extrema pars intestini recti, in situ,& in colligantia, ideò symptomata meritò horum duorum euenientia, eadem sunt in vtrisque. Probo.

Cùm intestini recti vltima pars, & collum vesicæ sint in ima parte ventris; ideo.

Si sedet super rem duram,aut equitet,comprimuntur hæc loca,& augetur dolor.

Si stet, descendunt intestina, & loca hæc comprimunt, vnde dolent. Et etiam si colligantur flatus, in intestinis superioribus, & in ventriculo, quia sic comprimunt partes inferiores, vnde etiam à ructibus summè iuuatur.

Si ambulet; confricantur hæc loca, & dolent: potissimum si spatietur, vesica plena vrina, aut intestino pleno fęcibus, vel flatibus,quia magis comprimuntur loca hæc & fricantur.

Si cubet super latus, aut voluatur per lectum, pars dextera comprimit sinistram, & ideò dolet. Sic situs indolens est supinus, eo quia vesica supra rectum intestinum iacet, vt supra culcitram, & parum ipsum grauat quoniam leuis est,intestinum autem dorso hæret,& quiescit.

Cùm verò intestinum rectum colligatum sit cum vesica; ideo multiplicatis flatibus in ipso, & fęcibus, comprimitur vesica,& dolet; & vrina aliqualiter supprimitur, donec flatum ediderit.

Pari modo, si multa vrina in vesica colligatur, comprimitur intestinum, & dolet.

Sicut igitur multùm iuuatur, si frequenter mingat: ita beneficium sentit si frequenter assellet.

Sed iuuamentum à frequenti assellatione, aliam potest habere causam,videlicet diuersionem materierum acrium & salsarum à vesica ad intestina.

Quoniam si verum est, quod dicebat Hippocrates,vltimo Aphoris. 4.lib. quod *mictio noctu plurima facta, paruam significat deiectionem:* ita è contrà multa deiectio, paucam significabit mictionem.

Propter eandem colligantiam dolet vesica, cum expressio fit ad

egerendum

egerendum: nam tumet quodammodo eo in casu rectum intestinum, & sphinctir dilatatur, qui habet neruos communes cum musculo colli vesicæ, ortos à coccige, vnde vno musculo ex his patiente, alter compatitur.

Sic etiam, cum exprimit ad mingendum, dolet intestino recto; Vel quia collum vesicæ dilatatur hoc in casu.

Vel quoniam musculorum abdominis vltima pars, iuxta pubem, vesicam comprimens, impellit ipsam ad rectum intestinum, vnde fit dolor etiam in ipso.

Habent verò communionem, nerui ambarum istarum partium, cum neruis ad coxas descendentibus, & cum venis ac arterijs: ideo nihil mirum, si coxę stupent, & veluti ligantur malè ipsis affectis.

Postquam percurrimus symptomata orta, à communibus repertis in vtroque loco; transeamus ad symptomata quæ nascuntur à proprijs cuiusque loci. Et primò ad ea, quæ ortum ducunt à proprijs colli vesicæ.

Cùm verò collum vesicæ, ex tribus constet partibus potissimum, ex musculo, adenibus substantia vesicæ.

Ab vsu musculi symptoma id oritur, quod non potest multa vrinæ copia in vesica colligi. Propterea quod, cùm musculus sit ille, qui ferre debet pondus vrinæ: vesica enim quia naturalem habet motum, expelleret minimam etiã vrinam, vt apparet in ijs, qui habent resolutum musculum colli vesicæ: & ideo magnitudo vesicæ esset inutilis, quia sat fuisset, vreteres ad penem peruenisse, nisi esset musculus circa collum, qui est in causa, vt magna copia retineatur: non enim cedit, nisi aut uoluntas imperet, aut summa necessitas cogat.

Quod autem in temperato magna copia urinæ præstat, id in intemperato, quia debilis, pauca poterit agere.

Ab usu uerò alio eiusdem musculi, sequitur dolor post mictum. Nam cum collum uesicæ tortuosum sit, quia cum incipiat infrà os pubis, & terminetur supra os pubis, ubi est penis; necesse est ut referat uelut figuram 6. Ideo musculus erigit collum hoc, quare facilè fluit urina, una parte aliam impellente, propter uacuum & locum decliuem.

Et præterea, quando pauca est urina in uesica, ita ut ex copia una pars non impellat aliam, licet musculus sit apertus; non tamen

men egreditur vrina, sed remanet in collo, nisi exprimatur collum à musculo, & sic purgetur: vnde à longè proijcitur tunc vrina; vt fit etiam si manibus confertim vesicam plenam exprimamus. Necesse igitur est, post singulam mictionem musculum hunc ita constringi, & purgare collum vesicæ, quod cum sit male affectum compressum dolet.

A colligantia verò, quam habet collum vesicæ, cum inguinibus, dolet si percutiatur, aut fortiter stringatur ille locus. Et quia etiam colligatum est virgæ; ideò si trahatur dolet.

Ab vsu verò adenis, qui in coitu dilatatur, & velut turget, fit vt comprimatur substantia propria colli vesicæ (quæ est causa, cur non mingat animal in emissione seminis. Nam musculus dilatatur, vt semen transeat: sed vrina retinetur à compressione glandulæ: & ob id, difficulter mingunt, quibus penis erectus est: potissimum, si non ex solo flatu, sed & ex semine in vasis seminarijs contento, fit erectio) compressa autem, quia malè affecta dolet; & ob hoc à coitu, læditur.

A proprijs verò extremæ partis intestini recti, hæc symptomata oriuntur.

Ab vsu eius, qui duplex est, retinere fęces, & expellere. In retentione, si multæ sint aut duræ dolet, quia aggrauatur, & comprimitur. In expulsione verò dupliciter patitur.

Primò quia constringitur per villos transuersales circa fęces, & in illa corrugatione, ipsum se comprimit, & dolet.

Secundò quoniam cum fęces expellit, impellitur quodammodo extrà, & in aliquibus magna pars exit.

Sunt autem duo musculi, vnus vtrinque, qui sursum intestinum retrahunt: in isto autem motu dolor fit.

A colligatis cum hac parte intestini, quæ sunt venæ hæmorrhoidales, accidit quandoque vt sanguinem excernat, aut ob dolorem sanguine ad has venas, transmisso; aut ob loci imbecillitatem.

Quo autem ad Secundum morbum, qui est soluta vnitas in collo vesicæ, & canali vrinario, varia sequuntur symptomata.

Cùm enim soluta sit vnitas, augetur imbecillitas in his partibuus quæ aderat propter intemperaturam.

Cùm autem sit talis solutio vnitatis, quæ est attenuatio pellis.

Aliqua non sequuntur symptomata ad hanc speciem solutionis continui. Alia sequuntur.

Non sequitur quod sanguis exeat, nec pus, neque ramenta.

Sequitur tamen, quod sensibilior redditur pars, ratione qua summa cuticula, quæ insensibilis est (ob calli naturam, quam refert) dempta fuit: subiecta autem caro, fit ita sensibilis, vt facilè lædatur à contangentibus, potissimum duris, acribus, salsis.

Et propterea vrina hinc transiens (quæ acris & salsa est) dolorem facit, dum mingit. Post mictum verò, quia aliqua portio urinæ, in uijs remanet, ideo ipsa dolorem causat.

Potissimum uerò post mictum, facit dolorem pituita salsa, quę relinquitur in his partibus.

Si enim hæc non admodum fuerit salsa, pruritum facit.

Si uerò salsa admodum, sed subtiliter in his partibus sublinita, generat uelut punctiuras acuum.

Si autem multa collecta in aliquo loco, causat inibilancinationes.

Ab utroque autem loco seorsum, sua pendent symptomata.

Meritò enim colli uesicæ dolor fit post mictum duabus de causis.

Primò quia constringitur à musculo, ut ipsum expurget ab urina, & ideò fit affrictus partium ulceratarum ad inuicem.

Secundò quoniam post mictum, retinetur in ipso pituita salsa, quæ ob eius uiscositatem adhæret loco, & canalis non potest à musculo etiam constringente, ab ipsa expurgari.

Meritò fistulæ urinariæ fit dolor in mictu: quia cum sit sensibilior collo uesicæ, ideo patitur à calore actuali urinæ, & ab eius acredine, ac salsedine, à quibus non patiebatur collum uesicæ.

Dolet etiam post mictum. Tum propterea quod retinetur urina in fistula. Nam non habet musculum, qui eam exprimat, ut collum uesicæ; & ideò sępe corrumpitur sic urina, nisi post mictum concutiatur manibus penis, atq; ita expurgetur à reliquijs urinæ. Tum etiam ex eo, quod remanet aliquid pituitæ salsæ, etiam in uirga.

Meritò etiam huius fistulæ, ita affectæ dolor exoritur in coitu.

Nam cum semen (quod interdum habet humores acres permixtos) per ipsam transeat, dolorem procreat ratione dicta. Qui dolor in collo uesicæ non potest fieri hac de causa, propterea quod ad ipsum non peruenit semen.

Dolet etiam uirga, cum tumet & mouetur, ut omnia membra malè affecta dolent, si moueantur.

CVM in hoc Illustri Viro, duo sint morbi, inchoanda cura à solutione unitatis in canali urinario & collo uesicæ. Causa est.

Prima siquidem morbus is habet sæuiora symptomata, quàm intemperatura cum materia, nempe dolorem ulcerosum, qui spiritus resoluit, & somnum prohibet, unde uires omnes naturales imbecillitantur.

Secunda quia habet rationem causæ, meritò alterius morbi. Nam meritò huius solutæ unitatis excitatur dolor in collo uesicæ, & ideo fluit semper noua materia ad locum, & auget intemperaturam cum materia.

Quoniam ergo morbus hic maiora habet indicantia, & digniora alio. Et quia habet rationem causæ conseruantis & augentis ipsum, ideo ab hoc inchoanda cura.

Cùm autem solutio unitatis partim sit facta partim fiat à noua materia delata à toto, ad eas partes; propterea inchoandum ab eo, qui fit. Namq; habet rationem causæ conseruantis & augentis, iam factam solutionem unitatis in dictis partibus.

Tolletur morbus qui fit causam remouendo, causam, inquam, id est, humorem salsum, qui in toto corpore continetur, & huc transmissus, magis abradit, & dolorem infert.

Hoc autem pertinet ad prophilacticam, quæ uersatur circa ablationem causarum, in corpore existentium, siue faciant, siue facturæ sint.

Aufferentur hæ materiæ purgando corpus cum his quæ educunt humorem atrabilarem: nam hæc etiam salsos succos euacuant.

Ea autem debent admisceri, quæ ardorem urinę solent mitigare, qualis est Cassia & diasebesten.

Purgationem uerò præcedat humorum, & uiarum præparatio.

Non conuenit uenæ sectio pro uacuandis his materiebus; quoniam multum distant à Natura sanguinis.

Sed quia parum proderit demere causas, quæ sunt in corpore, nisi prohibeamus, ne denuò tales materiæ succrescant, proinde in hoc maximè erit incumbendum.

Pertinet

Pertinet autem hæc negociatio de prohibenda generatione morbificarum causarum in corpore ad salubrem partem Medicinæ.

Quoniam verò multiplicantur mali hi succi in corpore, à quibus posteà fiunt rheumaticæ hæ dispositiones, vel ex malo victus regimine, vel ex membrorum intemperatura, vel ex vtraque causa. In nostro casu autem, ab vtraque causa multiplicentur, ob id & victus ratio salubris est instituenda, & corrigendæ sunt partium intemperies.

Quo igitur ad Primum vitet cibos acres salsos, amaros: nam istæ qualitates, non superantur à vi coctrice ventriculi, aut iecoris, sed transmittuntur ad vesicam, vt ad cloacam paratam, pro suscipiendis inutilibus corpori, quantitate & qualitate: & ideò vel leuissima errata, statim in his locis sentiuntur. Fugiat etiam cibos viscosos crassos, quia, diu in corpore retenti, aduruntur, & salsi euadunt.

Acidos & acerbos à se arceat, vt omnia aluum cohibentia.

Potus sit aqua mulsa, nam vua, & omnia quæ ex vua, obsunt.

Aerem frigidum & humidum deuitet, pluuiam & morari in locis frigidis, quia frigus vesicæ inimicum ex Hippocrate.

Motus vehementes dimittat. Fricentur potius superiora quotidie sursum trahendo fortibus frictionibus.

Habeat quotidie beneficium alui si non spontè, saltem arte.

Vomitus hoc in casu confert, quia pituitam vacuat, quæ in hepar deducta & assata salsescit.

Quò verò ad Secundum.

Frigida ventriculi intemperatura, erit corrigenda, ne crudos succos gignat.

Sed quia leuis est, ideò facilè bona victus ratione, & quibusdam extrinsecis præsidijs corrigetur.

At calida Iecinoris intemperatura, quæ auctior est, eget præsidijs valentioribus ne succos ita adurat.

Quare credo maximè conuenire missionem sanguinis ex iecoraria, ad hepar refrigerandum.

Posteà conueniet potus seri caprini, cum momento fumariæ, vel potus aquæ villæ.

Interim dum causas morbificas tollimus, & prohibemus earum generationem; quoniam fieri non potest, quin aliquid ad lo-

cum confluat: ideò ad mitigandum symptoma, inijcienda sunt in canalem, quę vestiant vesicæ collum, & caput virgæ; vt etiam in dysenteria intestina vestiuntur. Huiusmodi autem sunt glutinosa, vt mucilagines, oleum amygdalinum, lac.

Possunt & vnguenta imponi candella inuncta, atq; intromissa. His tolletur morbus qui fit.

Soluta verò vnitas, iam facta curabitur cum ijs, quæ exiccant, & consolidant, & quodammodo cicatricem in loco inducunt, ne scilicet locus sit ita sensibilis. Hæc autem erunt pulueres, & vnguenta. Tum iniecta cum aquis & decoctis in locum. Tum imposita per candellam.

Pro curatione autem alterius morbi, quoniam intemperatura est cum materia: iccirco materia prius demi debet, & postea intemperatura (si qua erit) remouebitur.

At quoniam credibile est, non solum in substantia partium colli vesicæ, & vltima parte intestini recti materiam esse inibibitam; sed & in venis illuc pertinentibus contineri: quapropter ad tollendum plenitudinem, quæ in venis est (quod prius fieri debet, ne volentes resoluere, quod est extra vasa, attrahamus ad locum, id quod est intrà vasa) sectio venæ, ex interiori malleolo conueniet, vt præcipit Galenus fieri debere, in affectibus vesicæ lib. de sanguinis missione.

Hæc autem missio sanguinis in malleolo tutò fieri poterit, cum iam præcesserit venisectium ex brachio, quod totum corpus euacuauit: vniuersales enim vacuationes debent præcedere particulares.

Ego tamen non educerem parum ex vtraque saphena, quia sic non euacuaremus à longè, sed solum id, quod proximum est: nam conciduntur in se uenæ, pauco educto sanguine, & non sequitur quòd à longè est per consecutionem vacui, nisi multus sanguis dematur confertim: quare confertim mitterem multum.

Et ex sinistro latere ducerem, quia venæ utplurimum in ea parte, sanguine crassiore, & magis adusto, sunt refertæ.

Pro resoluenda autem materia infarcta, stet in lecto per aliquot dies: & fiant fomenta, balnea, insessiones, inunctiones, emplasmata. Quæ applicentur ad inguina super pectinem, inter anum & testes.

Et inter corpus per clysteres. Possunt & unguenta cum candella ad collum vesicæ applicari: uel etiam decocta injci per catheterem.

De Optima ratione Curandi. Cap XVII.

GALENVS Pergamenus militiæ nostræ facilè Princeps (uno semper Hippocrate excepto) licet quamplurimos libros in Arte Medica ediderit; tamen nullum composuit, qui aut pulchior, aut utilior, aut Medico magis necessarius sit, quàm ille, qui Methodus medendi inscribitur: in quo, præsupponendo ab una parte, naturam morborum propulsandorum, ab altera Naturam ægrorum curandorum, docet elicere intentiones Curatiuas contrarias quidem morbis.

Similes uerò Naturis curandis.

Et postea instrumenta accommodata his intentionibus curatiuis exequendis prosequitur.

Quo facto, unum tantum deerat ipsi Methodo, quod si non addidisset, res tota imperfecta relicta fuisset: id autem fuit dare regulas, quibus cognoscere possimus.

Quando interdum, per multa media negocium unum, & intentio Curatiua una perfici potest. Quodnam ex multis illis medijs sit eligendum.

Vt enim habetur ab Hippocrate libro de Arte; *Non temeritate & inconsultò remedijs omnibus vtendum: sed facilitate magis quàm violentia medendum.*

A Galeno lib. Meth. *Non est vllum remedium quod magnificè, prosit, quin etiam aliqua in parte noceat.*

A Cicerone in Epistola ad Octauium: *Nulla remedia, quæ doloribus adhibentur non faciunt dolorem, quamuis sint salutaria.*

Ab alio; *Nunquam periculum sine periculo vincitur.*

Et hoc ait Galenus nuncupatur ratio optima curandi ἀρίστη ὁδὸς τῆς ἰάσεως, de qua agit 14. Meth. cap. 13. Nec solum Galenus, sed & Hippocrates 4. de Articulis 47.

Quæ ad singula efficacissima sunt, in vnaquaque arte scire conuenit: & ea vbique adhibere, quæ efficaciora videbuntur.

Immò & Aristoteles 3. Moralium cum ait. *Proposito fine, quemadmodum ad id perueniatur considerandum, & si per multa fieri posse constat; per quod illorum facillimè & optimè fiat perpendendum.*

Plato uerò dixerat in Phædro; *Horum causa oportet in omnibus sursum, deorsumq́, sermonibus reuolutis, perquirere, nunquid via ad illam, vlla facilior, breuiorq́, occurrat; ne temerè per longam, & asperam pererremus cum liceat, per breuem & planam incedere.*

Nihil autem est aliud optima ratio medendi; quàm electio ex multis modis procedendi in curatione eius modi, qui utilior est: puta proposito Socrate laborante morbo gallico, cum possim eum curare, non tam decocto ligni Indici, & salsę periliæ, quàm etiam per inunctionem argenti uiui, seligere uter ex his modis sit præstantior, dicitur ratio optima curandi: quòd quàm arduum sit conijcite ex his Ciceronis uerbis in lib. de Amicitia. *Nec quicquam difficilius, quàm reperire, quod sit omni ex parte in suo genere perfectum.*

De ratione ergo optima curandi dupliciter pertractare possumus.

Primò modo uniuersaliter.

Secundò modò particulariter.

Vniuersaliter ex Hippocrate in lib. de ueteri Medicina. *Optimum autem est quod longissimè ab incommodo abest*; ex Galeno in primum de humoribus tex. 2. ubi docet.

Optimam rationem curandi esse, si Natura uacuet per loca non conferentia, cum Medicus cogit ipsam uerti ad loca opportuna. Ex Auicenna: Si curremus morbos leues dięta tantum: minus leues dięta & Pharmacia. Grauiores dięta, Pharmacia, & Chirurgia.

Particulariter uerò, quæ sit optima ratio curandi, admonet Galenus, loco iam citato, Vbi docet ad tria respiciendum esse, si quis uelit, optima ratione curandi, uti.

Primum ad temporis curandi breuitatem.

Secundum ad curandum sine dolore.

Tertium ad maximè tuto curandum.

Quæ tria eadem docet Celsus ex Asclepiade lib. 3. cap. 4. in his uerbis; *Officium esse Medici Asclepiades dicit, vt tutò, vt celeriter, vt iucundè curet.*

Cur Galenus ita ordinat ista citò iucundè, tutò?
Celsus sic tutò, citò, iucundè?

Respondetur Galenum reseruasse, tutò ultimo loco, quia hcc membrum subdiuisurus erat, quòd Celsus, non subdiuidit.

Sed cur Galenus non præponit iucundè ipsi citò, ut Celsus?

Respondetur Galenum non præponere iucundè ipsi citò, quoniam pręponit id quod minus spectandum: minus enim citò: magis iucundè, maxime tuto est spectandum.

Primum ergo ad quod intentus esse debes, in ratione optima curandi est: Vt citò cures: vt breui tempore sanitatem inducas; vt non procedas per viam longitudinis, sed per viam compendij. Propterea 4. Meth. 4. damnat Gal. Medicos diatritarios, qui in febribūs seruādo ęgros in inedia trium dierum, interdum non citò expediunt eos, sed tardè sanant.

Ratio autem est cur citó curandum. Cum enim actionum (ex Platone in Ciuili, seu de Regno) quædam laudentur, quia cirę, quædam placeant, propterea quod tardæ: in Medicina actio sanationis laudatur, si citò fiat, & vituperatur, si tardè inducatur. Cum Medicari sit vna ex illis operationibus, quas velociter fieri debere vult Plato in charmide, vel de Tēperantia his verbis.

Dic igitur nunquid pulchrum aliquid temperantia sit.

CHAR. est prorsus. SO. Vtrum in grammatici facultate pulchrius est easdem literas citò scribere? an quiete? CH. Cito. SO. Legere autem celeriterne an tardè? CH. Celeriter. SO. Quin etiam pulsare citharam velociter, & promptè certare pulchrius est, quàm quiete ac tardè. CH. Est ita. SO. Quid verò in pugnorum brachiorumq́, ludis nonne celeritas ipsa laudatur. CH. Vtiq́,. SO. Currere autem atque saltare, & cœteri corporis actus nonne si properè, & promptè fiunt ad pulchrum spectant? si ignauè remißeq́, ad turpe? CH. Apparet. SO. Patet ergo quantum ad corpus attinet non quod tardum, sed quod velox maximè esse pulcherrimum, nonne? CH. Omninò. SO. Temperantiam verò pulchrum quid esse consistit. CH. Consistit. SO. Non ergo circa corpus quietudo immò celeritas ad temperantiam pertinebit, si modò pulchrum quid est temperantia. CH. Videbitur. SO. Docilitas verò nonne pulchrior quàm hebetudo. CH. Pulchrior certè. SO. Est autem docilitas citò perdiscere, hebetudo verò sero atque lente. CH. Profectò. SO. Docere aliū quàm ocissime nonne pulchrius quam tarde? CH. Proculdubio. SO. Reminisci item, & meminisse sero atq; lentè, pulchrius

ne an facile atque prompte. CH. Promptè. SO. Solertia verò nonne celeritas quædam animi est potius quàm tarditas? CH. Est. SO. Atqui & intelligere quæ dicuntur in grammatici citharistæq; ludis, & in cæteris omnibus non quàm tardissimè, sed quàm ocyssimè, pulcherrimum est. CH. Et hoc. SO. Quinetiam in ipsis indagationibus, & consultationibus animi, non qui quiete, sero, & vix quæsitum inuenit est laudandus, sed qui breui potius atque facillimè. CH. Vera hæc sunt. SO. Ex his colligitur, o charmides tam in ijs quæ ad corpus, quàm in ijs quæ ad animum spectant, velocia, promptaq; tardis, & quietis pulchriora uideri. CH. Sic apparet. SO. Non igitur quietudo quædam temperantia erit: neque vita quieta, temperans, vt hac ratione conijcitur, quandoquidem, quod temperatum est, & pulchrum debet esse. E duobus enim alterum est; aut nunquam: aut rarò admodum nobis in vita quietæ actiones pulchriores quàm veloces, & vehementes apparuerunt, quòd non pauciores quietæ actiones quàm veloces, & vehementes pulchritudine præstare reperirent: neque hac etiam ratione conficeretur temperantiam esse quiete agere potius, quam vehementer atq; celeriter, neque in ipso incessu, neque in sermone, neque in alio quopiam, neque vita quieta, quàm inquieta decetior esset & temperantior quippe cum in superiori sermone suppositum sit pulchrum esse aliquid temperantiam: pulchra vero non minus ipsa velocia quàm quieta esse constiterit. Ob quam etiam causam (ait Amatus) dari aquam frigidam in febribus tertianis, vt scilicet citò curemus.

Illud præterea adest, quod dicit Hippocrates in Epistola ad Crateuam; *Ab omni equidem arte aliena res est dilatio: Verùm maximè à Medicina, in qua dilatio est animæ periculum.*

Et Mesue. *Auxilium ne differas, quia semel pereunti nulla postea suffragia possunt.*

Obijcies Hippocratem lib. de Medico docere in quibus tardè, in quibus citò Chirurgia exercenda. Ergo interdum tardè curandum, interdum citò: non semper citò.

Soluitur vel id non spectare ad curationem; sed ad modum vtẽdi Chirurgia. Vel curandum, citò, quando ęquè bene potest fieri, citò, vt tardè. Vel curandum primò citò: secundò iucundè; tertiò tutò; hoc enim ordine (vt diximus) ista præstanda; Vnde tardè Chirurgia aliquando facienda, quia iucundius tardè, quàm citò.

In hac Intentione citò curandi, aut tarde consulendus aliquando

animus

animus ægri ex 4.Meth.2. *Cùm labra tantùm vlceris decolorata, duranèplusculum fuerint,excidenda ea sunt ad sanam vsque partem. Cum vero amplius progressus eius affectus est deliberatio incidit, incidendum ne omne id sit,quod præter Naturam uisitur: an spatio potius curandum, proculq; dubio, est ægri animus in hoc casu consulendus,aliqui enim longiori tempore curari citra sectionem malunt: alij quoduis subire,dummodò citius sanentur,sunt parati.*

Secundum est, quod oportet iucundè curare; id est, sine dolore, semper enim præferenda curatio sine dolore ei,quæ cum dolore coniungitur 7.Meth.4. *Igitur quæ acuti sensus pars est, eam quam maximè citrà dolorem curare tentandum, quę parum acri sensu est; hæc si affectus ita suadet, ualentiora remedia recipit.*

Iurisconsulti namq; aiunt. *Afflictio non est addenda afflicto.* Glosa est in verbo (Incurrisset) L.Nauigia C.de furtis, & seruo corrupto.Iason in lege furiosum num.7.cap.qui testamenta facere possunt,& tota ferè Doctorum Schola in sexcentis locis.

Non prętereundum autem præceptum Galeni 4.de sanitate tuenda 7. *Iucundissimum quoad fieri liceat medicamentum componatur: sed tamen uirium eius utilitate seruata.*

Dices libro ad Trasibulum cap.45. vult Galenus voluptatem non procurandam à Medico, sed sanitatem, cur ergo considerare, iucundè curare,vel sine dolore.

Soluitur principaliter sanitatem cõsiderari à Medico,minus principaliter, etiam iucunditatem,dolor enim resoluit spiritus,viresq; labi facit. Concedit ergo Galenus etiam voluptatem per accidens considerari à Medico.

Tertium est vt tutò cures. Vult autem Galenus ad tria intendi debere vt tuto cures.

Vnum primumque, Vt omninò absolutionem operis consequaris; id est, vt perfectam sanitatem inducas. Ergo in fistula lachrimali,melior est ratio curandi per cauterium, quàm per vnguenta sola.

Alterum vt sicubi sanitatem non consequaris: saltem cubantem non lædas. Ergo melius in morbo gallico vti guaiaco, quàm hydrargirro. Sinere vt capilli cadant, quàm adstringentibus eos detinere cum malignitate. Ergo melius materias crassas: & uiscidas purgare per secessum, quàm per vrinam.

Iure igitur scripsit Galenus 1.per loca 1. *Ego vero id quod Hippocrates*

crates præcepit, in operibus artis, id facere semper annitor: nimirum, ut quod auxilij loco adbibetur, uelut ipse scripsit, iuuet, uel certè non noceat.

Et de hac re adest textus Hippocratis 2. in 1. Epid. 50. *Te ita exercеto in morbis ut prosis, aut ne quid noceas.* In cuius textus expositione dicit Galenus.

Primò se aliàs putasse hanc sententiam leuem esse, nec esse dignum Hippocrate, ceu quæ omnibus sit nota.

Secundò quod cognouit eam esse vtilem, quia Medici aliquando errant in phlebotomia, pharmacia, aqua frigida.

Ergo admonendi: Tertiò quod ipse in suis ægris semper seruauit, vt si non profuerit, saltem eos non læserit.

Quartò quod & illi, qui temerè remedio aliquo magno ægros interimunt, tandem cognoscent, quàm benè dixerit Hippocrates.

Postremum, vt vitium non facilè redeat.

Ergo tutius in fine morbi euacuare ne recidiuæ fiant: quàm nihil dando permittere, vt reuertatur denuò febris.

Ergo ante morbos oportet præcauere homines, & maximè in reducibus. Post morbos oportet admonere ægros, de dicto Galeni 1. de humoribus 11. *Cuius Hippocrates nobis Auctor est, ut pauciora sumat: propterea quod corporum, quæ expurgata sint facultas purgatione conflictata, neque ferre, neque probè conficere alimentum potest.* Si quis modo desideret videre Exemplum Galeni, de optima ratione curandi, recurrat ad librum 8. Meth. cap. 2. quo loco docet quomodo melius sit, sine inedia tridui sanare diaria laborantes, quàm cum tali inedia.

Concludamus quod Medicus optima ratione curãdi vtitur quãdo citò, iucundè, tutò, sanitatem inducit; & quod tutò curat quando absolutionem operis consequitur, quando si non iuuat saltem non lædit; quando uitium non facilè redit.

Vltra aũt tria dicta, quartũ addit Hippocrates in 4. de articulis 62. *In tota arte Medicinali id in primis dare operã oportet, ut quod malè babet, ad sanitatem perducatur. Quod ubi contingere possit pluribus modis ille eligendus est, qui omnium minimo negocio comparatur: hoc siquidem magis officium est, probi uiri, & plus babet artificij, nisi quis in popularem auram incumbat.* Vult igitur, vt eligamus modum illum, qui minimo negocio perficitur.

Qua de re scripsit etiam Galenus 2. per genera 2. *Hæc igitur Andromachus, memoratu digna medicamenta usu pare ipsa scientibus præscripsit. Vnde cum talia sint ea deligenda, quæ ex paucioribus paratuuè facillimis simplicibus componuntur, tum quæ ad plura ualent, & proposito maximè scopo seruiunt.*

Immò & nonnulla alia adiungit 1. de Officina Medici 23. in his verbis. *Agens id spectet, ut rectè, ut decore, ut celeriter, ut iucundè, ut eleganter, & promptè.*

Quæ in libro de fascijs Galeno attributo repetuntur & exponuntur, cum ait: *Vtrobiq; autem summa cura enitendum est, dum uinculum inijcitur, ut celeriter, iucundè promptè, eleganter. Celeriter quidem, ut opus expediatur. Iucundè ut facile præstet. Promptè ut ubiq; sit in promptu. Eleganter ut oculos delectet cum iniectum est: ut rectè ut decore habeat, nihilq; absit ex his, quæ supra opus esse, retulimus.*

Hoc tibi, Candide Lector, sit prægustamentum mearum cogitationum in Hippocratem & Galenum: quod si tibi placuisse animaduertero, in posterum non minora expectabis. Vale.

FINIS.

Τῷ Ἀλουσίῳ Καρδινάλει Ἀτεςίῳ.

Βρασάυλος.

Τοῦτο θεῶν βασιλεῖ φίλον ἔπλετο, τοῦτο μέμηλεν,
Σκῆπτρόντ᾽, ἠδὲ θέμιςας, ἑῷ γόνῳ ἐγγυαλίζειν,
Ὄλβοντ᾽, ἠδ᾽ ἀρετὴν ἀριδείκετον ἔθνει ἀνάκτων.
Ἀλλὰ Κορωνίδος παῖς ἀγλαὸς ὃν τέκε φοίβῳ
Ἔργον ἔχει μέγα τοῦτ᾽ Ἀλούσιε φαίδιμε λαῶν,
Ὑγείην παρέχειν θαλερήν, νούσους τ᾽ ἀπαλάλκειν.
Τοὶ γάρ δαιμονίως τρισί τρισσοὺς ἰητῆρας
Ὤπασεν, οἵκε ῥυόιντο τεὸν γένος, ἠδ᾽ ἀμύνειαν,
Ὀξὺ βέλος γ᾽ ὀδυνῶν ὑμῖν, σφαλερόντε νόσημα.
Πατρὶ πατὴρ οὖν ἔλλαχ᾽ ἐμὸς τεῷ, ἐξόχῳ ἄλλος,
Ἠδέ κασιγνήτῳ κασίγνητος, σοί δ᾽ ἐγω αὐτός.
Κεῖνοι μιν προφέρουσ᾽ ἀρετῇ, σοφίῃ θ᾽ ἅμα πάσῃ,
Αὐτὰρ ἐγὼν ἑκάτοιο νέος τελέθω ὑποφήτης,
Κείνοις τόσσ᾽ εἴκων, ὅσα προὔχοις ἤθεσι, ξυνῷ,
Αὐτὸς, καὶ γενετὴρ προφερέςατος ἔξοχ᾽ ἀνάκτων,
Οἳ πέδον Αὐσονίης ἐριβώλακος ἀμφινέμονται,
Χρύσεά τ᾽ ἠριδανοῖο ῥέεθρ᾽ ἅλαδε προρέοντος,
Ἀλλὰ θεῶν βουλαῖς, οἳ χεῖρας ὕπερθεν ἔχουσι
Κηδόμενοι μέγα σεῦ, τοῖσι ἔλπομαι ἰσοφαρίσειν,
Εὐμενέος φοίβοιο τυχὼν παΐδός τ᾽ ἀγλαοῖο,
Ἵλαθι κ᾽ αὐτὸς ἄνα, πρόφρων δέ τε δέχνυσο δῶρα
Ἀθανάτων, ἀπόβλητα θεῶν οὐ δῶρα πέλοντι.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Errores grauiores in Impreſsione commiſsi.

car.	fac.	lin.	
4.	A.	l. 15.	κὐν lege κἠν.
5.	B.	l. 7.	affirmant, lege affirmat.
7.	A.	l. 24.	profecturę lege præfecturæ.
		l. 36.	poteſtatibus lege potentibus.
	B.	l. 1.	iuſta lege iuſſa.
		l. 21.	liceat, licebat.
		l. 32.	εσιν lege εςιν.
8.	B.	l. 2.	pro repoſitione per repoſitionē.
		l. 36.	cuſtodiantur vt lege cuſtodiantur, atq; vt.
9.	A.	l. 25.	Εξώςτειν, lege ἐξώςην.
		l. 31.	admic, adminic.
	B.	l. 7.	maneatq; lege manet atque.
		l. 11.	conſtituerunt lege conſtiterint.
10.	A.	l. 23.	confi, conſi.
11.	A.	l. 13.	ϑετῆν, θετεῖν.
13.	B.	l. 10.	folus, ſolus.
		l. 32.	κόσμο, κοσμη.
14.	B.	l. 17.	vſus, vſurus.
15.	A.	l. 26.	ενπυ, εκπυ.
16.			c. vij. c. viij.
18.	B.	l. 32.	infectus lege infeſtus.
21.	B.	l. 24.	βαῖράχω lege βαῖράχων.
		l. 26.	eſt lege &.

car.	fac.	lin.	
		l. 37.	calculo &, lege calculo eſt.
22.	A.	l. 18.	emittunt lege admittunt.
	B.	l. 25.	ſolitam, ſolitū.
23.	A.	l. 25.	geſtione lege geſtatione.
24.	A.	l. 29.	procedit lege procedet.
		l. 31.	receſſerit lege receſſit.
	B.	l. 3.	enda lege endę.
25.	A.	l. 15.	enim, autem.
26.	A.	l. 23.	qui ſit. lar lege Quid ſit lar.
28.	A.	l. 27.	ἐσύν lege ἐςίν.
		l. 31.	ἔχυτυ, ἔχυ τό.
31.	B.	l. 37.	admittit, adimit
32.	A.	l. 24.	omnem, omne.
	B.	l. 8.	viciſſime, lege veriſſime.
34.	A.	l. 27.	refrigeremus, lege refrigeraremus.
	B.	l. 19.	refrigeratione, reſpiratione.
39.	A.	l. 23.	peritoneo lege perineo.
		l. 24.	ſubantia, ſubſtantia.
40.	B.	l. 13.	fert lege ferit.
43.	B.	l. 16.	fit lege ſit.

BIBLIOTECA